Némethy, Géza
Commentarius exegeticus
ad Ovidii Epistulas ex Ponto

COMMENTARII EXEGETICI
SCRIPTORES GRÆCOS ET ROMANOS
A COLLEGIO PHILOLOGICO CLASSICO
EMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ PUBLICI IURIS FACTI.

OMMENTARIUS EXEGETICUS
OVIDII EPISTULAS EX PONTO

SCRIPSIT

Géza
GEYZA NÉMETHY
ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ SODALIS

BUDAPESTINI
SUMPTIBUS ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ
MCMXV.

Pretium 3 cor.

EDITIONES
ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ.

Sexti Pompei Festi

De verborum significatu quæ supersunt cum Pauli Epitome.

Edidit

ÆMILIUS THEWREWK de PONOR.

Pars I.

Pretium 7.60 cor.

CODEX FESTI FARNESIANUS

XLII. tabulis expressus.

Edidit

ÆMILIUS THEWREWK de PONOR.

Tabulas photographicas arte Iustini Lembo Neapolitani confectas phototypice descripsit *Georgius Kloesz* Budapestinensis.

Pretium 42 cor.

EUHEMERI RELIQUIÆ.

Collegit, prolegomenis et adnotationibus instruxit

GEYZA NÉMETHY.

Pretium 1.20 cor.

SCHOLIA RECENTIA IN PINDARI EPINICIA.

Ad librorum manuscriptorum fidem edidit

EUGENIUS ÁBEL.

Pars I.

Pretium 10 cor.

COMMENTARII EXEGETICI

AD SCRIPTORES GRÆCOS ET ROMANOS

A COLLEGIO PHILOLOGICO CLASSICO

ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ

PUBLICI IURIS FACTI.

COMMENTARIUS EXEGETICUS AD OVIDII EPISTULAS EX PONTO

BUDAPESTINI

TYPIS SOCIETATIS FRANKLINIANÆ

MCMXV.

COMMENTARIUS EXEGETICUS AD OVIDII EPISTULAS EX PONTO

SCRIPSIT

GEYZA NÉMETHY

ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ SODALIS

BUDAPESTINI

SUMPTIBUS ACADEMIÆ LITTERARUM HUNGARICÆ

MCMXV.

PRÆFATIO CRITICA.

In hoc opusculo idem mihi fuit propositum, quod in commentario ad Ovidii Tristia nuper edito,* sc. ut Epistulas ex Ponto brevi interpretatione, quæ dicitur, verbali instruerem utque in adnotationibus exegeticis non solum virorum doctorum, sed etiam civium Academicorum rationibus consulerem. Res in libello illo priore iam explicatas hic non tracto, sed lectores ubique ad commentarium in Tristia scriptum delego.

In verbis poetæ constituendis Merkelium secutus sum ducem locosque omnes, ubi ab iterata eius recensione (Lipsiæ apud Teubnerum publici iuris facta) secedendum putavi, hic afferam.

In libro primo: I. vss. 41—44. uncos, quibus Merkel hunc locum, ut spurium, notare voluerat, removi. I. vs. 41. dearum: ex coniectura Madvigii — Dianæ. I. vss. 65—68. et II. vs. 37—38. et II. vss. 101—102. uncos Merkelii removi. II. vs. 101. salvo: ex coniectura Kornii — sub eo. III. vs. 51. uvas: codices meliores — herbas. IV. vss. 31—32. uncos Merkelii removi. IV. vs. 31. sinistro: ex coniectura Burmanni — sit Histro. IV. vs. 36. sacra: codices meliores — densa. V. vs. 22. Alpibus: codices — saltibus. V. vss. 81—82. et VII. vss. 19—22. uncos Merkelii removi. VII. vs. 57. Sed tamen: scripsit Riese; nec tamen: codices — Ni claudum. VII. vss. 63—64. uncos Merkelii removi. VII. vs. 66. Officii *causa* pluribus esse *dari:* codices — Officii *causam* pluribus esse *pati.*

* *Commentarius exegeticus ad Ovidii Tristia.* Scripsit *G. Némethy.* Budapestini, sumptibus Academiæ Litterarum Hungaricæ, MCMXIII.

In libro secundo: I. vs. 34. quæ: codices — quo. I. vs. 37. veros: codices deteriores — versos. II. vss. 37—40. uncos Merkelii removi. II. vs. 85. adsimiles: codices plurimi — adsimilis. II. vs. 91. quam qua: emendavit Heinsius — nova qua. II. vs. 97. istuc: codices plurimi — istac. III. vss. 15—16. uncos Merkelii removi. V. vs. 3. comprobet: codices — competat. V. vss. 67—68. et VI. vss. 23—24. uncos Merkelii removi. V. vs. 67. nobis . . . vobis: scripsi ut sensus postulat — vobis . . . nobis.

In libro tertio: I. vss. 21—22. uncos Merkelii removi. I. vs. 21. in ulvis: ex mea coniectura — silvis. I. vs. 60. paucis: codices plurimi — parvis. I. vss. 109—112. et 115—118. et 163—164. et. II. vss. 19—20. uncos Merkelii removi. II. vs. 76. Ambiit: coniecit Riese — Ambiat. IV. vs. 108. portet: codices — porgat. IX. vss. 9—12. uncos Merkelii removi. IX. vs. 26. Et: codices Monacenses lat. 384. et 19476. — Ut. IX. vs. 26. in cursu: cod. Monacensis lat. 19476. — census.

In libro quarto: IV. vs. 11. fulva solus spatiarer: codices Monacenses lat. 384. et 19476. — solus spatiarer tristis. VI. vs. 12. fueram: codices deteriores — fuero. VI. vs. 34. tinctum: codices plurimi — tinguat. IX. vss. 25—28. et 49—50. uncos Merkelii removi. IX. vs. 79. Troesmin: emendavit Korn. — Trosmin. IX. 93—94. et 131—132. et X. vss. 21—30. uncos Merkelii removi. XV. vs. 25. Erroris: codices — Mæroris. XV. vs. 34. uncos Merkelii removi. XVI. vs. 19. domito . . . Hectore: codices meliores — domitam . . . Hercule. XV. vs. 21. vates: codices — nomen. XVI. vs. 31. Varius: codices meliores — Varus. XVI. vs. 33. Passerque: sic scribendum; est enim nomen poetæ — passerque. XVI. 34. Grattius: hæc est recta nominis poetæ forma — Gratius.

Dabam Budapestini mense Ianuario an. MCMXV.

Geyza Némethy.

ADNOTATIONES

AD LIBRUM PRIMUM.

Lib. I. epist. 1.

Ad Brutum.

Ovidius tres primos Epistularum ex Ponto libros scripsit ann. 12/13. p. Chr. n. unaque edidit. Totam syllogen Bruto cuidam, amico suo nobis aliunde non noto, oratori et causidico bono (cf. IV. 6, 29. sqq.) dedicavit, quare non solum in hac præfatione (I. 1.), sed etiam in epilogo trium librorum (III. 9.) eum alloquitur. Præterea ad eum scripsit IV. 6. Nonnulli etiam Trist. I. 7. et III. 14. ad eum scriptas esse putant.

V. 1—2. *Tomitanæ . . . terræ,* cf. adn. ad Trist. I. 2, 85. — *Getico litore,* cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 5. *Publica . . . monimenta,* bibliothecæ publicæ; cf. ad Trist. III. 1, 67.

V. 7. *nil turpe docetis,* ut Ars Amatoria.

V. 10. *sub lare privato,* in domo privata.

V. 12. *Qua steterant Artes, pars vacat illa tibi,* i. e. in bibliotheca tua vacat locus, ubi olim Ars Amatoria steterat; cf. ad Trist. III. 14, 17.

V. 13. *Quid veniant,* scribendum potius: *qui* veniant, i. e. quales libri? — *novitate . . . sub ipsa,* novitate rei permotus.

V. 15. *miserabilis index,* tristis titulus; alludit ad inscriptionem Tristium. — *illo . . . quod ante dedi,* cogitandum de libris Tristium.

V. 18. *Non occultato nomine,* nam in libris Tristium amicos, ad quos litteras misit, nondum nominavit, ne amicitia exulis iis noceret; cf. ad Trist. III. 4, 65.

V. 19—20. *vos*, sc. amici poetæ. — *Musaque . . . officiosa*, amicitiæ officio fungens.

V. 21—22. *meis*, sc. operibus. — *ortos Exule*, filios exulum. — *servatis legibus*, salvis.

V. 23—24. *Antoni scripta*, M. Antonii triumviri, qui in scriptis suis Octavianum sæpe contumeliose insectatus est; cf. Suet. Aug. 7: «Sed et a M. Antonio in epistolis per contumeliam sæpe Thurinus appellatur (sc. Octavianus), et ipse nihil amplius quam mirari se rescribit, opprobrio sibi prius nomen obici.» — *Doctus . . . Brutus*, percussor Iulii Cæsaris dictatoris, philosophus et orator clarus; cogitandum præcipue de panegyrico eius in Catonem minorem, defensorem libertatis reipublicæ Romanæ, quod opus Augustus ipse refutare conatus est; cf. Suet. Aug. 85: «Multa varii generis prosa oratione composuit, ex quibus nonnulla in cœtu familiarium velut in auditorio recitavit, sicut *Rescripta Bruto* de Catone.» — *in promptu scrinia . . . habet*, i. e. in bibliothecis libenter collocatur. — *scrinia*, cf. ad Trist. I. 1, 105—107.

V. 26. *deos*, Cæsares.

V. 27—28. *Caesareo . . . honore*, laudibus Augusti.

V. 30. *dempto nomine*, sc. auctoris.

V. 31—32. *pacatæ ramus olivæ*, signum pacis, quod gestabant legati pacem petentes. — *auctorem pacis*, Augustum, qui pacem dedit orbi terrarum toti bellisque confectis aram Pacis dedicavit Romæ an. a. Chr. n. 9.

V. 33. *Aeneæ cervix subiecta parenti*, de Aenea patrem Anchisen e flammis Troiæ umeris efferente cf. Verg. Aen. II. 707: «Ergo age, care pater, cervici imponere nostræ» et Ov. Met. XIII. 623: «sacra et sacra altera, patrem, Fert umeris, venerabile onus, Cythereius heros.»

V. 35—36. *Aeneaden*, Augustum, cuius pater adoptivus, Iulius Cæsar dictator, originem ducere putabatur ab Iulo, Aeneæ filio. — *patriæ pater*, Augustus a senatu pater patriæ appellatus est an. a. Chr. n. 2. — *ipsius*, sc. Aeneæ.

V. 38. *Lactantem Pharia tinnula sistra manu*, agitur de sacerdote mendicante Isidis, deæ Aegyptiæ, cuius cultus Romæ frequens erat. — *Pharia . . . manu*, a Pharo, insula ad Alexandriam sita; significat per metonymiam Aegyptum. — *sistra*, crepundia in

sacris Isidis usitata, quæ sacerdotes et cultores deæ ad certos modos quassare solebant. Sonitum edebant virgæ aereæ mobiles; vide figuram apud *Rich:* Illustr. Wörterb. s. v.

V. 39—40. *Ante deum Matrem* etc., agitur de sacerdotibus mendicantibus Cybelæ, deæ Phrygiæ, qui imaginem deæ circumferebant in urbibus præcedente tibicine. — *deum Matrem*, Cybele, quæ appellabatur Magna Mater deorum. — *cornu . . . adunco*, tibia Phrygia in sacris Cybeles usitata e buxo erat facta et in fine altero in modum cornus curvata; cf. Ov. Fast. IV. 181: «inflexo Berecyntia tibia cornu.»

V. 41—42. *deorum*, sc. Isidis et Cybelæ; ex coniectura Madvigii; codices: *Dianæ*, quod corruptum videtur. — *vaticinator*, sacerdotes Cybeles et Isidis pro pecunia accepta prædicere futura et monita dare solebant; cf. Iuven. Sat. VI. 512—530. et Pers. Sat. V. 186—188.

V. 45—46. *Phrygiique foramina buxi*, tibia Phrygia foraminibus instructa; cf. supra ad vs. 40. — *Gentes Iuleæ*, ab Iulo, Aeneæ filio; cf. supra ad vs. 35.

V. 47—48. *Vaticinor*, i. e. sacro quodam furore corripior, ut vates. — *magno . . . deo*, sc. Augusto.

V. 51—52. *linigeræ . . . Isidis*, vestes enim e lino factas gerebat ipsa dea, tum sacerdotes et cultores eius. — *sedere*, sc. humi, ut supplicantes solebant; cf. Ov. Am. II. 13. 17. de Isidis cultu; «Sæpe tibi sedit certis operata diebus» et A. A. III. 635: «Cum sedeat Phariæ sistris operata iuvencæ.»

V. 53. *privatus lumine*, Isis eos, quibus irascebatur, cæcos reddere putabatur: cf. Iuven. Sat. XIII. 92: «Decernat, quæcumque volet, de corpore nostro Isis et irato feriat mea lumina sistro» et Anth. Pal. XI. 115: *μὴ χαταράσῃ τὴν Ἶσιν . . . μηδ᾽ εἴ τις τυφλοὺς ποιεῖ θεός.*

V. 63. *manifestior*, sc. deus. — *ipse*, Augustus.

V. 65—66. *Mors faciet* etc., vss. 65—66. inepte hoc loco inserti videntur esse spurii.

V. 69. *teredine*, teredo, Græce τερηδών, i. e. vermis, qui ligneos navium partes perforat.

V. 75. *stimuli*, cruciatus.

V. 77. *superi*, i. e. Cæsares, Augustus et familia eius.

V. 79—80. *Inque locum Scythico vacuum mutabor ab arcu,* i. e. reditum in patriam orare non audet, sed tutius sibi optat relegationis locum, ut Trist. II. 201: «Unde precor supplex, ut nos in tuta releges» et ibid. 577: «Tutius exilium pauloque quietius oro» — *Scythico*, cf. ad Trist. III. 4, 46. — *mutabor*, transferar. — *duri . . . oris*, impudens, tamquam callum in facie habens; cf. Ov. Met. V. 451: «duri puer oris et audax.»

Lib. I. epist. 2.

Ad Fabium Maximum.

Paullus Fabius Maximus, e gente nobilissima Fabii Cunctatoris, amicus Augusti, fautor Ovidii, consul fuit an. 11. a. Chr. n. Coniunx eius, Marcia, erat patrona tertiæ Ovidii uxoris; cf. quæ exposuimus in commentario Tristium p. 129. sqq. Ad eundem Fabium infra III. 3. et III. 8.

V. 3—4. *Qui nasci ut posses . . . Non omnis Fabios abstulit una dies*, alludit ad interitum Fabiorum in pugna ad Cremeram fluvium in agro Veienti an. 477. a. Chr. n.; cf. Liv. II. 48—50. et Ov. Fast. II. 195: «Hæc fuit illa dies, in qua Veientibus arvis Ter centum Fabii ter cecidere duo.» Similiter dicit de Fabio Cunctatore Fast. II. 239: «Nam puer impubes et adhuc non utilis armis Unus de Fabia gente relictus erat: Scilicet ut possis olim tu, Maxime, nasci, Cui res cunctando restituenda foret.»

V. 7—8. *nomine*, sc. Ovidii. — *Durus*, sine misericordia.

V. 12. desideratur in codicibus optimis; in codice Monacensi lat. 384. et in deterioribus legitur: «*Audebo et propriis ingemuisse malis.*»

V. 18. *vipereo felle*, cf. ad. Trist. III. 10, 64. et V. 7, 16.

V. 21—22. *simul*, ex coniectura Merkelii, codices: *semel*. — *Vincula semper habens inresoluta*, i. e. hi populi bellicosi et barbari habent arcus semper nervis intentos et ad pugnam paratos. Aliter Græci et Romani, apud quos nervus ante usum plerumque altero tantum fine erat arcui insertus, ne perpetua intentione corrumperetur. — *canet*, sonabit sagitta emissa; ex coniectura Merkelii; codices: *manet*.

V. 23. *rigent*, horrent. — *firus veluti vallata sagittis*, i. e. sagittæ figuntur in tecto, sicut pali in vallo. — *vallata*, ut Ov. Her. IV. 159. de Sole: «radiis frontem vallatus acutis.»

V. 25—26. *loci faciem nec fronde nec arbore læti*, cf. Trist. III. 10, 75. de regione Tomitana: «Aspiceres nudos sine fronde, sine arbore campos.» — *iners . . . hiems*, quia hiems fructus non fert neque agros coli patitur: cf. Hor. Carm. IV. 7, 12: «Bruma recurrit iners.» — *hiemi continuatur hiems*, quia æstas tam brevis est, ut hiems nunquam fere interrumpi videatur.

V. 28. *quarta . . . hiems*, i. e. hiems anni 12/13.

V. 31. *Nioben*, cf. ad Trist. V. 1, 57—58. — *tot funera*, Niobe septem filios totidemque filias amisit.

V. 33—34. *Vos quoque felices* etc., agitur de sororibus Phaethontis: cf. ad Trist. I. 1, 79. et III. 4, 29—30. — *populus*, aliter Verg. Ecl. 6, 63., qui Phaethontis sorores in alnos esse mutatas narrat.

V. 37. *Medusa*, Phorci filia, una Gorgonum, angues in capite pro crinibus habens, cuius aspectu homines in saxa mutari putabantur.

V. 41—42. *Tityi . . . iecur*, Latonæ vim afferre voluit, quare apud inferos vultures assidue lacerabant atque comedebant iecur eius semper renascens; cf. Ov. Ib. 181—182., Hor. Carm. III. 4, 77. et Tibull. I. 3, 75—76.

V. 47—48. *Sarmaticas*, cf. ad Trist. I. 2, 82. et II. 198. — *dare*, præbere.

V. 51. *quos sum veneratus*, cogitandum de patronis poetæ nobilibus.

V. 54. *admonitu . . . boni*, memoria felicitatis præteritæ.

V. 56. *pruinosi Noctis . . . equi*, ut Soli et Lunæ, ita Nocti quoque bigas aut quadrigas tribuunt poetæ: cf. Tibull. II. 1, 87: «Nox iungit equos», Verg. Aen. IV. 721: «Nox . . . bigis subvecta». Lygd. 4, 17: «Iam Nox ætherium nigris emensa quadrigis Mundum.» — *pruinosi*, quia noctu cadit pruina: cf. Ov. Am. I. 6, 35: «Iamque pruinosos molitur Lucifer axes» et ibid. I. 13, 2. de Aurora: «pruinoso quæ vehit axe diem.»

V. 60. *Sarmaticum . . . solum*, cf. ad Trist. I. 2, 82.

V 61. *Mollia*, iucundiora. — *naufragiis*, exilio.

V. 65. *Quam male mutato posse carere loco*, cf. supra ad I. 79—80. — *male mutato*, in calamitatem meam mutato.

V. 68. *duro . . . pudore*, cf. supra ad I. 80: «duri . . . oris.»

V. 69. *Romanæ facundia, Maxime, linguæ*, erat Fabius Maximus causarum patronus eo tempore celeberrimus; cf. Hor. Carm. IV. 1, 13. de eodem Fabio: «Namque et nobilis et decens Et pro sollicitis non tacitus reis.»

V. 72. *fuga*, exilio.

V. 77. *Tomitæ*, cf. ad Trist. I. 2, 85. — *Getæ*, cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 79—80. *Sauromatæ*, sive Sarmatæ, cf. ad Trist. I. 2, 82. — *Iazyges*, populus Sarmaticæ originis in ripa sinistra Danuvii. — *Cultaque Oresteæ Taurica terra deæ*, cf. ad Trist. IV. 4, 63—64. — *Oresteæ . . . deæ*, Dianæ Tauricæ, cui Orestes pæne immolatus est a sorore Iphigenia. Cf. Trist. IV. 4, 63. et adn. ad h. l.

V. 82. *Dura meant celeri terga per amnis equo*, cf. ad Trist. III. 10, 35—54.

V. 84. *Ausonii*, cf. ad Trist. I. 2, 92.

V. 88. *Quodque sequens nullas hostis habebit aquas*, sc. in desertis Sarmatiæ Scythiæque, in litore septentrionali Ponti Euxini.

V. 92. *vitam cui dabat ipse*, cf. ad Trist. I. 1, 20.

V. 94. *Getis*, cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 101—102. *salvo*, emendavit Korn; codices: *sub eo*. — *huius . . . gentis*, sc. gentis Iuliæ.

V. 105. *uti male tutius*, cf. supra ad I. 1, 79—80.

V. 107—108. *præsentia numina*, Cæsares; cf. supra ad I. 1, 63. — *Getes*, cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 110. *Scythica . . . humo*, cf. ad Trist. III. 4, 46.

V. 111—112. *male compositos*, incuriose sepultos. — *Bistonii*, cf. ad Trist. I. 10, 23—24.

V. 114. *Sarmatis umbra*, i. e. manes Sarmatarum ferorum, quos poeta etiam apud inferos sibi terribiles fore fingit,

V. 118. *Auxilio trepidis quæ solet esse reis*, cf. supra ad vs. 69.

V. 120. *Aequandi superis . . . viri*, ut Trist. IV. 8, 52. de Augusto: «Aequantem superos . . . virum».

V. 121—122. *Theromedon*, sive Therodamas, rex Scytharum, qui leones suos carne humana pavit; cf. Ov. Ib, 383: «Therodamanteos ut qui sensere leones». — *crudusque*. crudelis. — *Atreus*, cf. ad Trist. II. 391. — *Quique suis homines pabula fecit*

equis. Diomedes, rex Bistonum in Thracia, qui equos suos carne hospitum pavit, quem Hercules demum equis propriis comedendum obiecit.

V. 125. *Clausit et æterna civica bella sera*, qui bellis et domesticis et externis confectis templum Iani clausit: cf. supra ad I. 1, 32. et Verg. Aen. I. 293: «diræ ferro et compagibus artis Claudentur Belli portæ».

V. 130. *fuga*, exilium.

V. 131. *colui*, proprie dicitur de iis, qui domos patronorum nobilium frequentant.

V. 133. *duxi vestros Hymenæon ad ignes*, i. e. carmine meo nuptiali invocavi Hymenaeum deum, ut adesset nuptiis tuis: cf. Catull. 62, 5: «Hymen ades o Hymenaee». — *vestros . . . ad ignes*, ad nuptias Fabii et Marciæ infra vs. 140. commemoratæ. — *Hymenæon*, Hymenæus sive Hymen, deus nuptiarum: cf. Ov. Met. IV. 796: «Cum Venus et Iuno sociosque Hymenaeus ad ignes Conveniunt». — *ignes*, nuptias: nam nova nupta vesperi in pompa sollemni facibus ardentibus deducebatur in domum mariti.

V. 136. *domino qui nocuere suo*, sc. Ars Amatoria.

V. 138—142. Hunc locum interpretatus sum in commentario Tristium p. 129—132, quod vide.

V. 140. *est . . . censa*, hoc loco *censeor* est verbum deponens; cf. Cic. Flacc. 32: «Voluisti magnum agri modum censeri . . . Census es mancipia Amyntæ».

V. 144. *Claudia divina non equisset ope*, Claudia Quinta, quæ famam suam in dubium vocatam divina ope restituit. Cum enim an. 209. a. Chr. n. imago Cybeles, Magnæ Matris deorum, adverso Tiberi Romam veheretur navisque in limoso vado hæreret, Claudia, auxilio deæ invocato, navem loco movere sola potuit postque hoc miraculum ab omnibus casta est credita. Cf. Ov. Fast. IV. 305—344.

V. 146. *Proxima pars vitæ transilienda meæ*, i. e. de culpa, ob quam relegatus sum, tacere debeo. Ceterum de causa relegationis probabili cf., quæ exposui in commentario Tristium p. 132—137.

V. 149—150. *vestras complectitur aras*, ut supplices solent. — *cultos ad sibi . . . deos*, i. e. ad patronos nobiles et potentes: similiter dicit infra I. 9, 35—36. (ad Cottam Maximum de Celso, Cottæ Maximi cultore: «Nam tua non alio coluit penetralia ritu. Terrarum

dominum quam cælis ipse deos» et ibid. vs. 49—50: «quem tu pro numine vivus habebas, Præstitit officium Maximus omne tibi».

Lib. I. epist. 3.

Ad Rufinum.

Rufinus, amicus Ovidii, aliunde nobis non est notus; poeta fuisse (cf. III. 4, 5.) videtur. Ad eundem infra III. 4.

V. 2. *tuus*, sc. amicus.

V. 3. *Reddita confusae . . . solacia menti*, Rufinus igitur misit Ovidio epistulam consolatoriam.

V. 5. *Machaoniis Pœantius artibus heros*, Philoctetes, Pœantis filius; cf. ad Trist. V. 1, 61—62. — *Machaoniis*, Machaon, filius Aesculapii, medicus Graecorum Troiam oppugnantium, qui vulnus Philoctetis sanavit.

V. 7. *iacens*, afflictus.

V. 10. *Ut solet infuso vena redire mero*, cf. Senec. De benef. III. 9: «adsedisse aegro et cum valetudo eius et salus momentis constaret, excepisse idonea cibo tempora et cadentes venas vino refecisse». — *vena*, pulsus venarum.

V. 16. *cruda*, recentia et adhuc cruenta.

V. 19. *sanguis pulmone remissus*, cogitandum de iis, qui pulmonum morbo laborantes sanguinem vomunt.

V. 21. *Epidaurius*, Aesculapius, deus medicinæ, qui præcipue colebatur Epidauri, in urbe Argolidis.

V. 24. *aquis*, aquæ intercuti sive hydropi.

V. 27—28. *iacentem*, afflictum. — *pectoris arma tui*, arma consolationis a te mihi ministrata.

V. 30. *retexit*, solvit, tamquam textum.

V. 33—34. *Ithaci*, Ulixis, regis insulæ Ithacæ. — *optat Fumum de patriis posse videre focis*, cf. Hom. Od. I. 51. de Ulixe peregrinante: *αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρῴσκοντα νοῆσαι ἧς γαίης θανέειν ἱμείρεται.*

V. 37. *Scythico . . . frigore*, cf. ad Trist. III. 4, 46.

V. 39. *Pandione natae*, lusciniæ, in quam mutata est Philomela, filia Pandionis, regis Athenarum; cf. ad Trist. II. 389.

V. 44. *Fomentis*, lenimentis.

V. 49—50. *harenis*, in litore harenoso Ponti Euxini. — *Fert ubi perpetuas obruta terra nives*, cf. supra ad I. 2, 26.

V. 51. *Non ager hic pomum, non dulces educat uvas*, cf. infra I. 7, 13: «regio nec pomo feta nec uvis» et ad Trist. III. 10, 71—73. — *educat*, fert, ut Catull. 62, 50: «nunquam mitem educat uvam» et Tibull. I. 1, 13: «quodcumque mihi pomum novus educat annus».

V. 53—54. *fretum*, mare. — *Ventorum rabie*, Pontus Euxinus nunc quoque tempestatibus infamis est.

V. 56. *quæ nemo vindicet*, sc. sibi; quæ nullius in possessione sunt.

V. 59—60. *Altera Bistonias pars est sensura sarissas*, i. e. regioni Tomorum a parte meridionali imminent feræ Thraciæ gentes. — *Bistonias*, cf. ad Trist. I. 10, 23—24. — *sarissas*, hastæ longissimæ, quibus Macedones præcipue utebantur. — *Altera Sarmatica* etc., a parte septentrionali imminent Sarmatæ, equites feri, litora septentrionalia Ponti Euxini incolentes.

V. 61. *I nunc*, age.

V. 63. *Rutili*, P. Rutilius Rufus consularis an. 92. a. Chr. n. a publicanis repetundarum accusatus et in exilium actus est; postea a Sulla revocatus non rediit, sed mansit Smyrnæ, in urbe Asiæ amœna, litterarum studiis deditus.

V. 65. *Pontus*, regio Ponti Euxini.

V. 67. *Cynicus . . . Sinopeus*, Diogenes natus circa an. 404. a. Chr. n. una cum patre ex urbe natali in litore meridionali Ponti Euxini sita, Sinope, pulsus Athenas se contulit et Antisthenis magisterio usus philosophus Cynicus evasit celeberrimus.

V. 60—79. *Neoclides*, Themistocles, victor Salaminius, Neoclis filius, Athenis pulsus primum Argos, deinde ad regem Persarum confugit.

V. 71. *Aristides*, iustitiæ fama præclarus, Athenis ostracismo expulsus Spartam se contulit.

V. 73—74. *Patroclus*, Achillis amicus, Opunte, in urbe Locridis, occidit Clysonymum, Amphidamantis filium ultionemque timens confugit Phthiam ad Peleum, Achillis patrem. — *Thessalicam . . . humum*, Phthia enim erat urbs Thessaliæ.

V. 75—76. *Exul ab Hæmonia,* Iason insidias patrui, Peliæ, vitans Iolco, ex urbe Thessaliæ, Corinthum fugit. — *Hæmonia,* Thessalia. — *Pirenida . . . ad undam,* Corinthum, ubi erat fons Pirenes celeberrimus. — *trabs . . . sacra,* Argo, navis Argonautarum a Minerva facta. — *Colcha . . . aqua,* Argonautæ navigabant per Pontum Euxinum ad terram Colchidem in litore orientali huius maris sitam.

V. 77. *Agenorides . . . Cadmus,* Cadmus, filius Agenoris, regis Phœniciæ, Sidone, ex urbe Phœniciæ celeberrima, navigavit in Bœotiam, ubi Thebas condidit.

V. 79—80. *Tydeus,* pater Diomedis Calydone, ex urbe patria, ob cædem ibi factam confugit Argos ad regem Adrastum eiusque filiam duxit uxorem. — *Teucrum,* Teucer, Aiacis frater, a patre Telamone propter mortem Aiacis non vindicatam irato expulsus est Salamine novamque sibi Salamina condidit in insula Cypri. — *Veneri grata . . . humus,* Cyprus, ubi Venus præcipue colebatur.

V. 82. *Exulibus tellus ultima Tibur erat,* cf. Fast. VI. 665: «Exilio mutant urbem Tiburque recedunt: Exilium quodam tempore Tibur erat». — *Tibur,* urbs amœnissima Latii non procul a Roma.

V. 93. *munus tua grande voluntas,* benevolentia tua tamquam grande munus.

Lib. I. epist. 4.

Ad uxorem.

De uxore Ovidii vide, quæ in commentario Tristium p. 129. sqq. exposuimus. Ad eandem infra III. 1.

V. 1. *deterior . . . ætas,* senectus appropinquans. — *canis,* sc. capillis.

V. 10. *Pylio Nestore,* Nestor, maximus natu Græcorum Troiam oppugnantium, erat rex Pyli in Peloponneso.

V. 14. *senescit,* sterilescit.

V. 18. *liquidis . . . carebit aquis,* antiqui naves hieme, cum cessabat navigatio, in litus extrahere atque reficere solebant.

V. 23. *in has partis,* in regionem Ponti Euxini. — *Aesone natus,*

Iason, Aesonis filius, dux Argonautarum, qui Pontum Euxinum primus pernavigavit Iolco, ex urbe Thessaliæ, Colchos petens.

V. 26. *nomina magna*, sc. heroum antiquitatis. — *premunt*, opprimunt.

V. 27. *Pelia*, Pelias, patruus Iasonis, qui Iasonem ad vellus aureum comparandum in Colchidem misit.

V. 30. *utraque terra*, oriens et occidens.

V. 31. *Iunctior*, propior. — *Hæmonia*, Thessalia. — *Ponto . . . sinistro*, cf. ad Trist. I. 2, 83.

V. 33—34. *Achivæ*, Graecæ. — *nostram cuncti destituere fugam*, cf. ad Trist. I. 5, 64.

V. 36. *Aesoniden*, cf. supra ad vs. 23. — *sacra carina*, cf. supra ad I. 3, 76.

V. 37. *Tiphys*, gubernator Argonautarum. — *Agenore natus*, Phineus, rex cæcus Salmydessi in Thracia, quem Argonautæ vexationibus harpyiarum liberaverunt. Quare ille Iasoni ad iter faciendum bona dedit consilia.

V. 41—42. *iuvere Cupidinis artes*, sc. cum amorem Medeæ, filiæ Aeetæ, regis Colchorum, sibi conciliavit. — *Quas a me vellem non didicisset Amor*, alludit ad Artem Amatoriam.

V. 44. *dei*, Augusti.

V. 55—56. *Cæsaribus*, Augusto et Tiberio, heredi eius. — *cum coniuge*, Livia, uxor Augusti. — *memori*, grata.

V. 57—58. *Memnonis hanc utinam . . . mater Quam primum roseo provocet ore diem*, cf. Tibull. I. 3. 93—94: «hunc illum nobis Aurora nitentem Luciferum roseis candida portet equis»; Ov. Am. II. 11. 55: «Hæc mihi quam primum cælo nitidissimus alto Lucifer admisso tempora portet equo» et Trist. III. 5. 55: «Hos utinam nitidi Solis prænuntius ortus Afferat admisso Lucifer albus equo». — *Memnonis . . . mater*, Aurora, cuius filius erat Memnon, rex Aethiopum. — *principe*, Augusto.

Lib. I. epist. 5.

Ad Cottam Maximum.

Cotta Maximus, amicus Ovidii intimus, fuit filius minor M. Valerii Messallæ Corvini, celeberrimi illius poetarum fautoris,

qui a matris fratre, Aurelio Cotta, adoptatus nomen accepit M. Aurelii Cottæ Maximi. Erat orator (cf. III. 5, 7. sqq.) et poeta (cf. IV. 16, 47. sqq.) bonus. Ad eundem infra I. 9. II. 3. et 8. III. 2. et 5. Etiam Trist. IV. 5. V. 6. et 13. ad eum missæ videntur.

V. 7. *ducendi carminis*, cf. ad Trist. I. 1, 39.

V. 12. *Getas*, cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 13—14. *deducere*, cf. ad Trist. I. 1, 39. — *mollior*, i. e. duro fato vexatus non possum versus molles atque elegantes facere.

V. 16. *lini*, deleri in tabulis ceratis stilo verso.

V. 19. *lima*, laborem poliendi atque emendandi significat; cf. Trist. I. 7, 30: «Defuit et scriptis ultima lima meis» et Hor. A. P. 291: «limæ labor et mora».

V. 21—22. *Torquet enim fortuna parum* etc., ironice dictum: non satis, credo, fortuna me cruciat, nisi me ipse supervacuo labore crucio. — *Lissus in Hebrum Confluat*, allegorice supervacuum laborem significat, ut Ov. Trist. V. 5, 43—44: «His qui contentus non est, in litus harenas, In segetem spicas, in mare fundat aquas». Hebrus enim, maximus Thraciæ fluvius, aquis abundat neque aquis Lissi eget. — *Lissus*, fluvius Thraciæ; emendavit Merkel; codices: *Lixus*. — *frondes Alpibus addat Atho*, supervacuum laborem significat, ut infra IV. 2, 13: «Mittere ad hunc carmen frondes erat addere silvis». Alpes enim sunt montes frondosi neque silvis Athonis egent. — *Atho*, sive *Athos*, mons in Chalcidice Macedonica silvis abundans.

V. 24. *perusta*, iugo trita, ut Hor. Epod. 4. 3: «Hibericis peruste funibus latus».

V. 26. *Et sata cum multo fenore reddit ager*, cf. Tibull. II. 6, 22: «Semina, quæ magno fenore reddat ager» et Ov. Rem. 173: «semina... Quæ tibi cum magno fenore reddat ager».

V. 27—28. *omnia*, sc. tempora. — *utinam non nocuisset*, alludit ad Artem Amatoriam, qua iram Augusti in se vertit.

V. 31—32. *vere*, iunge cum *negat*. — *fides*, documentum.

V. 36. *ponere*, consumere.

V. 37. *eiurat pugnam*, valedicit pugnæ nunquam se rediturum iurans.

V. 42. *deas*, Musas.

V. 46. *incertas,* propter infirmitatem trementes.

V. 48. *ponam,* cf. supra ad vs. 36.

V. 50. *Sarmaticos,* cf. ad Trist. I. 2, 82.

V. 57—58. *recitata . . . carmina,* cogitandum de publicis carminum recitationibus, quod Romæ eo tempore exemplo Asinii Pollionis more receptum fuit. — *Pieriis invigilate choris,* invigilate Musis, i. e. carminibus faciendis. Erat enim Cotta Maximus non solum orator, sed etiam poeta; cf. infra III. 5, 39. (ad Cottam): «recitas factum modo carmen amicis» et IV. 16, 42. (de eodem): «Pieridum lumen præsidiumque fori». — *Pieriis . . . choris,* Musarum choris, cf. ad Trist. III. 2, 3.

V. 62. *Getes,* cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 63. *Histrum,* regionem Histri.

V. 69. *theatro,* auditorio.

V. 71—72. *istuc,* Romam; cf. ad Trist. III. 3. 25. — *Quo boreas pinna deficiente venit,* quia Roma procul est a parte terræ septentrionali, ubi poeta moratur.

V. 73—74. *cælo,* toto cælo. — *Ursa,* sidus Ursæ Maioris in parte cæli septentrionali.

V. 79—80. *Syene,* nunc *Assuan,* urbs Aegypti meridionalis ad fines Aethiopiæ sita. — *Taprobanen,* nunc *Ceylon,* insula in Oceano Indico.

V. 82. *Pleiadum . . . signa,* Pleiades, sidus ex septem stellis constans, Latine *Vergiliæ,* Hungarice *fiastyúk,* Germanice *Gluckhenne.*

V. 83—84. *istuc,* Romam; cf. supra ad vs. 71. — *cum domino,* i. e. cum poeta.

V. 88. *de nostra morte,* de exilio; cf. ad Trist. I. 1, 27.

Lib. I. epist. 6.

Ad Græcinum.

C. Pomponius Græcinus, fautor et amicus Ovidii, Tiberio gratissimus (cf. IV. 9, 67—70.), fuit consul suffectus an. 16. p. Chr. n. Ad eundem infra II. 6. et IV. 9.

V. 1—2. *nam te diversa tenebat Terra,* i. e. Græcinus procul a Roma erat, cum Ovidius relegatus est.

V. 6. *a studiis . . . tuis*, sc. studiis artium ingenuarum.

V. 12. *attonito*, sc. edicto principis (cf. Trist. II. 135—136.), quo relegatus est.

V. 18. *Alloquioque . . . tuo*, i. e. scribe mihi epistulam consolatoriam.

V. 20. *Stulta magis . . . quam scelerata*, cf. ad Trist. I. 2, 100.

V. 21. *peccati quae sit origo*, cf. supra ad I. 2, 146.

V. 24. *siqua*, sc. vulnera.

V. 25—26. *ut non facinus, sic culpa*, cf. ad Trist. II. 2, 98. — *in magnos . . . deos*, Cæsares.

V. 29—30. *dea*, sc. Spes. — *cum fugerent sceleratas numina terras*, post ætatem auream, ætate ferrea et scelerata.

V. 30. *fossor . . . compede vinctus*, cf. Tibull. II. 6, 25—26: «Spes etiam valida solatur compede vinctum: Crura sonant ferro, sed canit inter opus» et Ov. Trist. IV. 1, 5: «vinctus quoque compede fossor», ubi vide adn.

V. 36. *vena*, pulsu venarum.

V. 37. *carcere . . . clausi*, capite damnati, qui in carcere custodiebantur ante supplicium.

V. 41. *Me quoque conantem gladio finire dolorem*, cf. ad Trist. I. 5, 5—6.

V. 46. *dei*, Augusti.

V. 49. *Tomitana*, cf. ad Trist. I. 2, 85.

Lib. I. epist. 7.

Ad Messalinum.

Messalinus erat filius maior M. Valerii Messallæ Corvini, celeberrimi illius poetarum fautoris, frater Cottæ Maximi (cf. supra ad I. 5.), consul an. 3. p. Chr. n. Ad eundem infra II. 2. Etiam Trist. IV. 4. ad eum missa videtur.

V. 2. *Getis*, cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 7. *te venerantur*, i. e. quorum tu patronus es; cf. supra ad I. 2, 51.

V. 9—10. *Scythicasque*, cf. ad Trist. III. 4, 46. — *mortis . . . genus*, exilium; cf. ad Trist. I. 1, 27.

V. 13. *nec pomo feta nec uvis*, cf. supra ad I. 3, 51. et ad Trist. III. 10, 71—73.

V. 15—16. *cultorum*, cf. supra ad I. 2, 131. — *ut populo*, cf. ad Trist. I. 1, 17.

V. 19—20. *mentito*, sc. mihi; i. e. ignoscere mihi deberes, etiamsi mentirer me amicum tuum fuisse. — *gloria*, gloriatio.

V. 21—22. *amicum*, i. e. amicum esse Cæsarum. — *tu mihi Cæsar eras*, i. e. non eras mihi amicus intimus, sed ego ita pæne te veneratus sum, patronum nobilem atque potentem, ut Cæsarem.

V. 24. *Atria*, cogitandum de atriis domorum nobilium, quæ cotidie clientibus complentur.

V. 25—26. *nihil amplius*, non maior usus. — *salutaris*, intellege salutationem sollemnem matutinam, i. e. cum patronos nobiles mane salutatum eunt amici et clientes.

V. 27—28. *genitor*, Messalla Corvinus. — *Hortator studii . . . mei*, Messalla erat primus patronus Ovidii iuvenis, cf. infra II. 3, 75—78. et ad Trist. IV. 4, 27—32.

V. 30. *medio scripta canenda foro*, i. e. carmen lugubre in mortem Messallæ, quod cantatum est in funere, cum pompa funebris constitisset in foro ad *laudationem* (orationem laudatoriam in honorem defuncti) sollemnem audiendam.

V. 31—32. *frater*, Cotta Maximus, amicus Ovidii intimus, de quo supra ad I. 5. — *Atridis*, Agamemnon et Menelaus. — *Tyndaridis*, Castor et Pollux, filii Tyndarei.

V. 34. *nocitura*, sc. apud Augustum.

V. 39—40. *culpam . . . facinus*, cf. ad Trist. I. 2, 98.

V. 42. *relegari*, cf. ad Trist. I. 7, 8.

V. 44. *Stultitiam*, cf. ad Trist. I. 2, 100.

V. 47. *Nec vitam nec opes*, cf. ad Trist. I. 1, 20.

V. 52. *Pelias*, hasta Achillis e fraxino in monte Pelio nata.

V. 55. *Culta*, cf. supra ad I. 2, 131. — *citra*, minus.

V. 57. *Sed tamen*, emendavit Riese; codices: *nec tamen*. — *domus altera*, i. e. domus Cottæ Maximi.

V. 59. *excolat*, emphatice dictum pro *colat*. cf. supra ad I. 2, 131.

V. 61—62. *emeritis*, bene de nobis merentibus. — *est fortunæ promeruisse tuæ*, i. e. decet hominem tam nobilem atque potentem beneficia dare etiam iis, qui ea nondum meruerunt.

V. 66. *Officii causa pluribus esse dari*, versus corruptus, nondum probabili ratione emendatus. *Madvig* pro *causa* scribit *causam* et pro *esse dari* scribendum censet *ipse dare*.

V. 67. *Quo libet in numero*, sc. tuorum.

Lib. I. epist. 8.

Ad Severum.

Severus, amicus Ovidii, aliunde notus non est. Homo dives et nobilis (cf. infra vss. 65. sqq.) fuisse videtur. Alius est Cornelius Severus, poeta ille, ad quem scripta est infra IV. 2, ubi vs. 3. aperte dicit Ovidius se nullam prius epistulam huic Severo (poetæ) misisse.

V. 4. *nota*, sc. erit.

V. 6. *Geta*, cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 8. *turba*, sc. exulum.

V. 9. *in procinctu*, in vestitu bellico: cf. Paul. Fest. (p. 281. ed. Thewrewk) s. v. *procincta classis*: «cum exercitus cinctus erat Gabino cinctu confestim pugnaturus».

V. 11. *vetus urbs*, Aegisos (cf. infra vs. 13.), urbs Mœsiæ inferioris ad Danuvium, nunc *Tuldscha*. — *binominis Histri*, appellatur enim et Hister et Danuvius.

V. 13—14. *Caspios*, Caspii vocabantur accolæ maris Caspii. — *ipsis*, sc. incolis urbis.

V. 15—16. *Odrysiis*, Thracibus: Odrysæ enim erant populus Thracius ad flumen Hebrum. — *Marte*, bello. — *in regem*, sc. Thraciæ, qui erat eo tempore Cotys ille, ad quem scripta est infra II. 9., ubi vide plura. Custodia igitur finium Mœsiæ inferioris hoc tempore regi Thraciæ commissa fuisse videtur, socio populi Romani.

V. 17. *magni generis*, cf. infra II. 9, 1—2.

V. 20. desideratur in codice Hamburgensi: in Monacensi lat. 384. et in Monacensi lat. 19476. legitur: *Audaces animos contuderit populi*, ubi pro *contuderit* Riese scribendum censet *contuderat*.

V. 24. *Martia . . . Roma*, cf. ad Trist. III. 7, 52. — *Roma probet*, erat enim rex Thraciæ, Cotys, socius populi Romani ad defendendos Mœsiæ fines obligatus.

V. 27—28. *Scythicas*, cf. ad Trist. III. 4, 46. — *Quattuor autumnos*, cogitandum de autumno anni p. Chr. n. 12. — *Pleias orta*, cf. Plin. N. H. XVIII. 69, 280: «Vergiliæ (i. e. Pleiades) . . . quarum exortu æstas incipiat». — *Pleias*, cf. supra ad I. 5, 82.

V. 32. *nata*, cf. ad Trist. I. 3, 19.

V. 35—36. *marmore tecta theatra*, quorum parietes marmore erant tecti. — *æquata porticus . . . humo*, ubi ambulare solebant Romani. Solum porticuum cylindro erat æquatum; cf. Vitruv. X. 2, 12: «in palæstris cylindro exæquant ambulationes».

V. 37—38. *Campi*, campi Martii: cf. ad Trist. III. 2, 19. — *pulchros spectantis in hortos*, campo Martio vicinus erat Collis Hortorum, ubi hortos habebant divites Romani. — *Stagnaque*, lacus arte facti. — *euripi*, fossæ aquarum arte factæ. — *Virgineusque liquor*, cf. ad Trist. III. 12, 22.

V. 41—42. *Ruraque Pæligno . . . solo*, paterna rura Ovidii, qui natus est Sulmone in Pælignis. — *conspicienda*, aspectu digna, pulchra.

V. 43—44. *piniferis positos in collibus hortos*, cf. ad Trist. I. 11, 37—38. — *Flaminiæ . . . viæ*, quæ per campum Martium duxit in Etruriam usque ad Ariminum. — *Clodia*, sc. via, quæ a via Flaminia in campo Martio divertens duxit Lucam in Etruria.

V. 51. *pendentis . . . rupe capellas*, cf. Verg. Ecl. I. 73: «ite capellæ. Non ego vos posthac . . . Dumosa pendere procul de rupe videbo».

V. 54. *Ducam ruricolas sub iuga curva boves*, cf. Tibull. I. 10, 45: «Duxit araturos sub iuga panda boves»; Ov. Am. I. 13, 16: «Prima vocas tardos sub iuga panda boves» et Her. 6, 10: «Isse sacros Martis sub iuga panda boves».

V. 58. *mota*, sc. ope aratri.

V. 64. *Nerunt fatales fortia fila deæ*, i. e. sors tibi stabiliorem fortunam dedit, quam mihi. — *fatales . . . deæ*, Parcæ, *Μοῖραι*, quæ filum fati nent.

V. 65—66. *campus*, cf. supra ad vs. 37. — *porticus*, cf. supra ad vs. 36. — *ponis*, consumis. — *tempora rara*, Severus igitur non multum temporis impendisse videtur eloquentiæ forensi, i. e. causis agendis.

V. 67—68. *Umbria nunc revocat*, erat fortasse patria Severi

Umbria, unde: *revocat* explicandum. — *Albana . . . in arva*, in monte Albano villas habebant divites Romani. — *potentem*, divitem atque nobilem. — *Appia*, sc. via, quæ Roma per agrum Albanum duxit usque ad Capuam in Campania. — *ferventi . . . rota*, propter celeritatem fervida: cf. Hor. Carm. I. 1, 4: «metaque fervidis Evitata rotis».

V. 69—70. *hic*, hoc loco, versibus 67—68. perlectis, ubi agitur de agro Albano, in quo villam habuisse videtur Serverus. — *villa*, probabiliter villa Albana Severi.

V. 72. *voti . . . contrahe vela tui*, cf. Hor. Carm. II. 10, 22: «sapienter idem Contrahes vento nimium secundo Turgida vela».

V. 73. *Terra . . . propior nullique obnoxia bello*, cf. supra I. 2, 152. et adn. ad I. 1, 79.

Lib. I. epist. 9.

Ad Cottam Maximum.

Ad eundem supra I. 5., ubi cf. adn.

V. 1. *rapto*, morte abrepto. — *Celso*, Celsus fuit amicus Cottæ et Ovidii: ad eum scripta est Trist. I. 5. (ubi cf. adn.) et fortasse V. 9.

V. 6. *Ut*, ex quo tempore. — *in Ponto*, in regione Ponti Euxini.

V. 9—10. *lusus*, iocos. — *liquida*, pura.

V. 13. *domus ingenti subito mea lapsa ruina*, calamitatem (relegationem) suam cum ruina domus comparat; cf. ad. Trist. II. 83—84.

V. 16. *fortunæ nec fuit ipse comes*, cf. ad Trist. I. 5, 34.

V. 20—21. *vitæ custos invisus amaræ*, Celsus prohibuit poetam edicto principis relegatorio afflictum, ne se necaret; cf. ad Trist. I. 5, 3—4. et 5—6; ad Trist. V. 9, vss. 7. et 10 et 19—20.

V. 29. *fratris*, Messalini, ad quem scripta est supra I. 7., ubi cf. adn.

V. 33. *Huc*, sc. Tomos.

V. 35—36. *colunt*, Maximus enim fuit Celsi patronus: cf. ad I. 2, 131. — *penetralia*, domum. — *Terrarum dominos . . . deos*, ut Hor. Carm. I. 1, 6: «Terrarum dominos evehit ad deos». — *quam colis ipse deos*, cf. supra ad I. 2, 149—150.

V. 40. *ingenium*, Celsus poeta fuisse videtur; cf. ad Trist. I. 5, 57—58.

V. 42. *fugerem*, in exilium irem.

V. 45. *Geticis*, cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 47. *ungere corpus*, antiqui corpora mortuorum unguentis suaveolentibus ungere solebant.

V. 49. *pro numine virus habebas*, cf. supra ad I. 2, 149—150.

V. 52. *amoma*, cf. supra ad vs. 47. et Iuven. Sat. IV. 108: «amomo, Quantum vix redolent tria funera» et ad Trist. III. 3, 69.

V. 54. *vicina . . . humo*, in suburbano Romæ, ubi sepeliri solebant Romani; cf. ad Trist. III. 3, 70.

V. 56. *Et nos extinctis adnumerare potest*, cf. ad Trist. I. 1, 27.

Lib. I. eleg. 10.

Ad Flaccum.

L. Pomponius Flaccus, amicus Ovidii, Tiberio gratissimus (cf. IV. 9, 67—70.), frater C. Pomponii Græcini (cf. supra ad I. 6.), consul fuit an. 17. p. Chr. n.

V. 6. *peragit soliti vena tenoris iter*, i. e. pulsus venarum non est turbatus.

V. 9. *educat*, cf. supra ad I. 3, 51.

V. 12. *Iuventa*, Hebe Græcorum, dea, quæ in conviviis deorum ministrare solet.

V. 22. *corpus inane*, non bene pastum.

V. 29. *Lyæo*, vino; Lyæus est cognomen Bacchi curas solventis.

V. 32. *Geticis*, cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 35. *Unda*, cf. ad Trist. III. 3, 7.

V. 37. *fratre*, Græcinus, ad quem scripta est supra I. 6., ubi cf. adn.

V. 39. *dura*, crudelis.

V. 41. *minuat, non finiat iram*, cf. supra ad I. 1, 79—80.

AD LIBRUM SECUNDUM.

Lib. II. epist. 1.

Ad Cæsarem Germanicum.

C. Claudius Cæsar Germanicus fuit filius Drusi maioris, filii Liviæ et Claudii Neronis, privigni Augusti, post mortem patris a patruo Tiberio adoptatus. Erat fautor poetarum, poeta et ipse, quare Ovidius ei dedicavit Fastos in exilio retractatos.

V. 1—2. *Cæsarei . . . triumphi*. Tiberius Cæsar, filius adoptivus et heres Augusti, mense Ianuario an. 13. p. Chr. n. triumphum egit de Pannonia, Dalmatia et Illyria, ubi cum provincialibus rebellantibus bellum gessit periculosissimum an. p. Chr. n. 6—9. — *quo fessi vix venit aura noti*, quia in regione frigida Tomorum non tepidus Notus, sed Boreas horridus plerumque bacchari solet; contrarium dicit supra I. 5, 72. de Roma: «Quo boreas pinna deficiente venit».

V. 3. *Scythica*, cf. ad Trist. III. 4, 46.

V. 6. *fortunæ verba dedique meæ*, tamquam fefelli miseram meam fortunam.

V. 7. *Cæsar*, Augustus.

V. 20. *Getis*, cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 22. *ducis*, Tiberii triumphantis.

V. 23. *capit vastis immensum mœnibus orbem*. hoc loco *orbis* significat locum (tamquam circulum) muris circumdatum.

V. 25—26. *lucibus*, diebus. — *Fuderit assiduas nubilus auster aquas*, cf. Tibull. I. 1, 47: «gelidas hibernus aquas cum fuderit auster». — *nubilus auster*, qui plerumque pluvias secum ferre

solet: cf. Verg. Ge. III. 278: «unde nigerrimus auster Nascitur et pluvio contristat frigore cælum.»

V. 29—30. *victorem*, Tiberium. — *cum magnæ vocis honore*, i. e. magna voce verbisque honorificis. — *Bellica . . . dona*, dona militaria, i. e. insignia quædam, quæ milites publice gererent virtutis mercedem.

V. 31. *pictas . . . vestes*, togam pictam i. e. purpuream triumphatoris.

V. 33—34. *Iustitiamque sui . . . parentis*, i. e. Tiberius ante triumphum sacrificavit Iustitiæ Augustæ, cui Augustus paulo ante statuam posuerat in templo marmoreo; cf. infra III. 6, 25: «Nuper eam (sc. Iustitiam) Cæsar facto de marmore templo . . . posuit». Etiam in Fastis Prænestinis commemoratur statua Iustitiæ Augustæ die 8. Ianuarii an. 13. p. Chr. n. Romæ consecrata. — *parentis*, Augusti. — *Illo quæ templum pectore semper habet*, i. e. Iustitia quasi templum habet in pectore Augusti; idem dicit poeta infra III. 6. 25—26. de Augusto: «Nuper eam (sc. Iustitiam) facto de marmore templo. Iampridem posuit mentis in æde suæ.»

V. 35—36. *Quaque ierit*, sc. Tiberius in pompa triumphi. — *felix adiectum plausibus omen*, i. e. populus plausit et plausibus addidit boni ominis verba, i. e. verba felicitatem Tiberio precantia. Cf. Cic. Fam. III. 12: «faustis ominibus prosequi» i. e. precationibus. — *adiectum*, supple: esse. — *Saxaque*, lapides quadrati, quibus viæ urbis stratæ erant. — *roratis . . . rosis*, rosis in modum roris in saxa cadentibus; i. e. spectatores rosis iactis texerunt viam triumphantis.

V. 37—38. *argento veros imitantia muros . . . oppida lata*, i. e. in pompa triumphi portabantur simulacra oppidorum captorum ex argento facta. — *cum pictis . . . viris*, simulacra hominum pugnantium variis coloribus distincta.

V. 39—40. *Fluminaque . . . montes . . . proelia*, i. e. imagines fluminum et montium Pannoniæ Illyriæque et pugnarum ibi commissarum. — *Armaque*, thoraces et cassides hostium. — *cum telis*, intellege gladios, hastas, sagittas etc.

V. 41—42. *quod sol incenderit*, i. e. quod splendebat radiis solis.— *Aurea Romani tecta fuisse fori*, aureum colorem ducere videbantur

tecta fori Romani, per quod currum egit triumphator Capitolium petens.

V. 43. *duces*, hostium duces catenis vincti ibant ante currum triumphantis.

V. 45. *Bato*, dux rebellionis, qui demum Tiberio se dedidit; cf. Suet. Tib. 20: «Tiberius Batonem, Pannonium ducem, ingentibus donatum præmiis Ravennam transtulit, gratiam referens, quod se quondam cum exercitu iniquitate loci circumclusum passus erat evadere».

V. 50. *Oppida sub titulo nominis isse tui*, bello Pannonico et Illyrico intererat Germanicus et nonnullas arces expugnavit; cf. Vell. Pat. II. 96: «Magna in bello Delmatico experimenta virtutis in multos ac difficilis locos præmissus Germanicus dedit». Quare in triumpho portabantur simulacra oppidorum ab eo captorum inscriptione nominis eius ornata. Cf. ad Trist. IV. 2, 20. — *titulo*, inscriptione. — *isse*, i. e. portata esse in pompa triumphali.

V. 52. *ingenio*, natura.

V. 53. *Di tibi dent annos*, Germanicus eo tempore agebat annum duodetricesimum.

V. 57—58. *victorem*, triumphantem. — *Tarpeias . . . in arces*, in Capitolium, ubi erat rupes Tarpeia. — *coronatis . . . equis*, currum triumphantis trahebant quattuor equi albi coronis ornati.

V. 59—60. *pater*, Tiberius, pater adoptivus Germanici. — *suis*, sc. filiis.

V. 61. *togaque*, in pace; toga enim est vestis pacis, ut sagum vestis bellica. Germanicus excellens erat etiam pacis artibus: orator bonus et poeta præclarus, qui Arati carmen astronomicum in Latinum pulcherrime vertit.

V. 64. *Sufficiet . . . si . . . vita malis*, si hæc mala ferre potero vivus.

V. 65—66. *Imbuero*, sc. sanguine meo. — *Scythicas*, cf. ad Trist. III. 4, 46. — *Getes*, cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 67—68. *dabitur tua laurea templis*, triumphator triumpho peracto coronam suam lauream deposuit in æde Iovis Capitolini. — *Omina his . . . vera*, prædixi enim et te triumphaturum et me hunc triumphum carmine prædicaturum.

Lib. II. epist. 2.

Ad Messalinum.

Ad eundem supra I. 7., ubi cf. adn.

V. 1—2. *primis . . . ab annis*, cf. ad I. 7, 27—28. — *venerator*, cf. supra ad I. 2, 51. — *ad Euxini . . . sinistra*, cf. ad Trist. I. 2, 83. — *freti*, maris.

V. 3—4. *salutem, Quam solitus præsens est tibi ferre*, cf. ad I. 7, 24—26. — *Getis*, cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 5. *nomine*, sc. auctoris.

V. 9. *si Pelion Ossa tulisset*. Hom. Od. XI. 315. sqq. narrat de Aloidis. Oto et Ephialte: *Ὄσσαν ἐπ' Οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ' Ὄσσῃ Πήλιον εἰνοσίφυλλον, ἵν' οὐρανὸς ἀμβατὸς εἴη*. Hanc fabulam ad Gigantes transtulerunt alii poetæ, ut Ov. Met. I. 152: «Affectasse ferunt regnum cæleste Gigantas Altaque congestos struxisse ad sidera montes». — *Pelion Ossa*, montes Thessaliæ.

V. 11—12. *Enceladus*, unus Gigantum cælum oppugnantium, a Iove fulmine ictus et sub Aetna monte sepultus. — *In rerum dominos . . . deos*, ut supra I. 9, 35: «Terrarum dominos», ubi cf. adn. — *rerum*, mundi.

V. 13. *Tydidæ temeraria dextera*. Tydei filius, Diomedes, bello Troiano Martem et Venerem vulneravit.

V. 17. *Nil nisi non sapiens*, cf. ad Trist. I. 2, 100. — *Timidusque*, cf. Trist. IV. 4, 39: «Aut timor aut error nobis, prius obfuit error».

V. 21. *nomen Iuli*, gens Iulia; cf. supra I. 1, 35. et 96.

V. 25—26. *Achæmeniden*, socius Ulixis, ab Ulixe in Sicilia, in insula Cyclopum, relictus, quem postea Aeneas in navem suam recepit; cf. Verg. Aen. III. 590. sqq. — *Myso . . . duci*, Telephus; cf. ad Trist. I. 1. 99—100. — *Pelias hasta*, cf. supra ad I. 7, 52.

V. 35—36. Versus mutili et insanabiliter corrupti, in codicibus deterioribus ita refecti: «*Qui rapitur spumante salo sua bracchia tendens, Porrigit ad spinas duraque saxa manus.*

V. 43—44. *Romana ad numina*, ad Augustum. — *Tarpeio . . . Tonanti*, Iove Capitolino; cf. supra ad II. 1, 57.

V. 47. *depositus*, desperatus; cf. ad Trist. III. 3, 40.

V. 49—50. *lassis . . . rebus*, cf. ad Trist. I. 5, 35. — *æterni*, immortalis.

V. 51. *eloquii nitor ille domesticus*, a patre Messalla acceptus, qui erat Augusti tempore orator clarissimus; cf. ad Trist. IV. 4, 5—6.

V. 53. *in vobis*, sc. in Messalino et in fratre eius, Cotta Maximo; cf. infra III. 5, 7. sqq.

V. 57. *erroris*, cf. ad Trist. I. 2, 99.

V. 59. *Vulneris id genus est*, cf. quæ de hoc loco in commentario Tristium p. 133. sqq. exposuimus.

V. 68. *solum . . . mite*, cf. ad I. 1, 79. — *fugæ*, exilio.

V. 71—72. *coniunx*, Livia, uxor Augusti. — *sua pulvinaria*, torum suum: coniugi imperatoris *pulvinar* pro toro tribuit poeta, ut deabus in lectisternio; cf. Iuven. VI. 132. de Messalina: «Fœda lupanaris tulit ad pulvinar odorem». — *Promovet Ausonium filius imperium*, Tiberius, qui an. 6—9. p. Chr. n. subegit Pannoniam et Illyriam, an. 10—12. repressit Germanorum seditionem. — *Ausonium*, Italicum, Romanum.

V. 73—74. *Præterit ipse suos animo Germanicus annos*, cf. supra ad II. 1, 50—53. — *Germanicus*, ad quem scripta est supra II. 1., ubi cf. adn. — *Drusi*, Drusus minor, filius Tiberii, nepos Liviæ.

V. 77. *triumphatos . . . Pæonas*, alludit ad triumphum Tiberii de Pannonia, Dalmatia et Illyria; cf. supra ad II. 1, 1. — *Pæonas*, hoc loco (parum accurate) Pannonios significat; Pæones autem proprio sensu erant gens in Thracia.

V. 79—80. *Illyris*, Illyria. — *famulo vertice ferre pedem*, quod est servitutis signum; cf. Propert. I. 1, 4: «caput impositis pressit Amor pedibus».

V. 81—82. *Ipse*, sc. Tiberius. — *super currum*, sc. triumphalem. — *Phœbea virgine*, lauro: Daphne enim, virgo ab Apolline amata, amplexum dei fugiens in laurum mutata est; cf. Ov. Met. I. 452. sqq.

V. 83—84. *pia . . . proles*, collective dictum de filio Tiberii, Druso minore, et de filio adoptivo eius, Germanico, qui currum

Tiberii triumphalem comitabantur. — *vobiscum*, una cum Messalino, qui bello Illyrico interfuit, et cum ceteris legatis Tiberii; cf. Suet. Tib. 20: «(Tiberius) triumphum egit prosequentibus etiam legatis, quibus triumphalia ornamenta impetrarat». — *nominibusque datis*, nomine Cæsaris, quod acceperunt Germanicus et Drusus, cum Tiberius ab Augusto adoptatus esset.

V. 85—86. *Fratribus adsimiles*, Dioscuris, Castori et Polluci, diis iuvenilibus. — *quos proxima templa tenentis Divus ab excelsa Iulius æde videt*. Augustus ædem dedicavit Divo Iulio Cæsari dictatori in foro an. a. Chr. n. 29. Tiberius autem in vicinitate huius templi dedicavit ædem Castoris et Pollucis de manubiis belli Pannonici et Illyrici an. 13. p. Chr. n.; cf. Suet. Tib. 20.

V. 87. *His*, Germanico et Druso.

V. 91. *Hanc colet ante diem, quam qua* etc., hanc diem (i. e. diem triumphi Tiberii) ante (i. e. magis) celebrabit Messalinus, quam illam, qua ipse laurea ornatus est — *Venit honoratis laurea digna comis*, Messalinus bello Illyrico triumphalia insignia meruit; cf. Vell. Pat. II. 112: «(Messalinus) præpositus Illyrico subita rebellione cum semiplena legione vicesima circumdatus hostili exercitu, amplius viginti milia hostium fudit fugavitque, et ob id ornamentis triumphalibus honoratus est».

V. 95. *Sauromatæ*, sive Sarmatæ; cf. ad Trist. I. 2, 82.

V. 97—98. *istuc*, Romam; cf. ad Trist. III. 3, 25. — *mutando . . . loco*, dativus; cf. supra ad I. 1, 79. — *blanda*, favens.

V. 99—100. *pater ille tuus*, Messalla Corvinus. — *primo mihi cultus ab ævo*, cf. supra ad I. 7, 27—28. — *umbra diserta*, umbra (anima) viri eloquentis; cf. supra ad vs. 51.

V. 101. *frater*, Cotta Maximus, ad quem scripta est supra I. 5., ubi cf. adn.

V. 104. *in turbæ parte . . . tuæ*, in numero amicorum.

V. 107. *Artibus*, sc. Arte Amatoria.

V. 111—112. *numen*, Augustus. — *Scythici*, cf. ad Trist. III. 4, 46.

V. 115—116. *Aetnæus . . . Polyphemus*, Cyclops ex Odyssea notus, in antro Aetnæ, montis Siciliæ, habitans. — *Antiphates*, rex Læstrygonum anthropophagorum, ex Odyssea notus.

V. 117. *facilisque*, clemens.

V. 124. *deos*, Cæsares.

Lib. II. epist. 3.

Ad Cottam Maximum.

Ad eundem supra I. 5., ubi cf. adn.

V. 3—4. *Culte*, cf. supra ad I. 2, 131. — *quid enim status hic a funere differt*. cf. ad Trist. I. 1. 27. — *Supremum vitæ tempus*, tempus relegationis.

V. 13. *decor*, honestum, honestas, *τὸ καλὸν* sensu ethico.

V. 16. *nemo petendus erit*, nullius amicitia erit petenda.

V. 18. *articulis*, sc. digitorum.

V. 20. *Prostat*, ut meretrix in lupanari. — *pro meretrice sedet*, meretrices in lupanari in alta sella sedere solebant, ut a viris lupanar frequentantibus conspicerentur; cf. Iuven. III. 134: «at tu. Cum tibi vestiti facies scorti placet, hæres. Et dubitas alta Chionen deducere sella».

V. 24. *proxima quæque*, i. e. amicos proximos.

V. 30. *Vix duo proiecto tresve tulistis opem*. cf. Trist. I. 5. 34: «Vix duo tresve mihi de tot superestis amici».

V. 39. *lasso digitum supponere mento*, sc. hominis cum undis luctantis: cf. Propert. III. 7. 69: «Vos decuit lasso supponere bracchia mento» et infra Ov. Ex Pont. II. 6. 13: «Bracchia da lasso potius prendenda natanti: Nec pigeat mento supposuisse manum».

V. 41. *Aeacides*, Achilles, Aeaci nepos. — *amico*, Patroclo, cui mortuo magnificum funus paravit Achilles.

V. 43. *Pirithoum*, cf. ad Trist. I. 5, 21—22. — *furoris*, insaniæ.

V. 56. *stantis in orbe deæ*, Fortunæ; cf. ad Trist. V. 8, 7—8.

V. 60. *ruina*, cf. ad Trist. II. 83—84.

V. 61. *Ira quidem primo fuerat tua iusta*, i. e. Maximus primo tempore irascebatur Ovidio, quod ille culpa sua Augustum offendisset. — *ipso*, sc. Augusto.

V. 63. *dolor pectus tetigisset Cæsaris alti*. cf. supra ad II. 2. 59.

V. 66. *erratis*, cf. ad Trist. I. 2, 99.

V. 70. *Ante tuos ortus*. Ovidius enim cultor fuit Messallæ Corvini, antequam Maximus natus esset.

V. 73—74. *vestra domus teneris mihi semper ab annis Culta*, cf. ad I. 7, 27—28. — *Culta*, cf. I. 2, 131.

V. 75—76. *Latiæ facundia linguæ*, cf. ad II. 2, 51. — *Quæ non inferior nobilitate fuit*, cf. ad Trist. IV. 4, 5. et 31—32.

V. 77—78. *ut auderem committere carmina famæ*, i. e. edere, publici iúris facere. — *ingenii dux fuit ille mei*, cf. supra I. 7, 28. de Messalla: «Hortator studii causaque faxque mei».

V. 80. *fratrem*, Messalinum, ad quem scripta est supra I. 7., ubi cf. adn.

V. 84. *Aethalis Ilva*, insula *Ilva* in mari Tyrrheno, nunc *Elba*, Græce *Aethalia*. Hic morabantur Maximus et Ovidius eo tempore, quo culpa Ovidii, qua Augusti iram in se verterat, Romæ innotuit.

V. 92. *Erroris*, cf. ad Trist. I. 5, 35. — *Fomentisque*, consolationibus.

V. 96. *promerito*, sc. de me.

V. 99. *altaria pinguia ture*, de pingui fumo turis cogitandum; cf. Trist. V. 5, 11: «Da mihi tura, puer, pingues facientia flammas».

Lib. II. epist. 4.

Ad Atticum.

Atticus, Ovidii amicus, fuit fortasse idem atque Curtius Atticus, eques Romanus, qui postea comes erat Tiberio in Campaniam secedenti an. 26. p. Chr. n.; cf. ad Trist. III. 6, 8. Ad eundem infra II. 7. et Amor. I. 9. Etiam Trist. III. 6. et V. 4. ad eum missæ videntur.

V. 2. *non dubitande*, cuius fides non est dubia.

V. 13. *factum modo carmen*, sc. Ovidii.

V. 16. *curæ*, operis.

V. 17. *lima*, cf. supra ad I. 5, 19.

V. 19—20. *porticus*, cf. supra ad I. 8, 35—36. — *iunctis . . . locis*, vicinis locis sedentes. — *curva theatra*, propter formam circuli.

V. 21—22. *Aeacide*, Achilles, *Aeaci nepos*. — *Nestorideque*, Antilochus, Nestoris filius, ab Achille præcipue amatus, iuxta Achillem Patroclumque sepultus; cf. Hom. Il. XXIII. 555: δῖος Ἀχιλλεὺς Χαίρων Ἀντιλόχῳ, ὅτι οἱ φίλος ἦεν ἑταῖρος.

V. 23. *Lethes*, fluvius apud inferos, unde oblivionem potabant animæ mortuorum.

V. 25—26. *brumali sidere*, tempore, quo hiberna sidera fulgent in cælo, i. e. hieme. — *solstitialis*, cogitandum de solstitio æstivo.

V. 27—28. *Babylon*, in Mesopotamia, in terra calida. — *Pontus*, sc. Euxinus. — *Pæstanas . . . rosas*, Pæstum, oppidum Lucaniæ, clarum rosariis, quæ quotannis bis, vere et ætumno florebant; cf. Verg. Ge. IV. 119: «biferique rosaria Paesti».

V. 30. *candida*, felix; cf. ad Trist. IV. 1, 63—64.

Lib. II. epist. 5.

Ad Salanum.

Salanus, amicus Ovidii aliunde non notus, erat orator bonus et Cæsaris Germanici in rhetoricis magister; cf. infra vs. 41. sqq.

V. 1. *disparibus numeris*, distichis elegiacis, hexametro et pentametro.

V. 3. *Quæ*, salus a me tibi optata. — *rebusque ut comprobet omen*, ut vox *salus* vero eventu comprobet omen illud faustum, quod in se continet; est enim vox boni ominis.

V. 5. *Candor*, bonitas, benevolentia.

V. 11. *Optastique brevem salvi mihi Cæsaris iram*, hoc loco pro *salvi* legendum censeo: *salvo:* i. e. optasti, ut ira Cæsaris mihi brevis sit utque ego salvus sentiam iram Cæsaris finitam.

V. 18. *Augusta pace*, cf. ad I. 1, 31—32.

V. 23. *suffragia*, favor.

V. 27—28. *triumphi*, sc. Tiberii de Pannonia et Illyria: cf. ad II. 1, 1. — *Ausus sum tantæ sumere molis opus*, Ovidius scripsit carmen triumphale in honorem Tiberii, quod ad nos non pervenit; de eodem carmine infra III. 4, 3. sqq.

V. 36. *Accedat cumulus gratia nostra levis*, accedat tibi etiam gratia nostra, quæ certe levis cumulus est ad gratiam Cæsarum, qua frueris.

V. 41. *cui dat Germania nomen*, Cæsar Germanicus, cui cognomen Germanici pater reliquit, Drusus maior, subactor Germaniæ; cf. supra ad II. 1.

V. 45. *Te dicente prius*, i. e. Salanus erat magister Germanici in rhetoricis.

V. 48. *Tectaque*, domus vocem Salani declamantis resonans.

V. 49–50. *Iuleo . . . cognomine*, cognomine *Cæsar*, quod erat cognomen Iuliorum; cf. ad II. 2, 84. — *Iuleo*, cf. ad I. 1, 46. — *ab eois Lucifer ortus aquis*, ex oceano orientali, unde Lucifer, stella matutina, et Sol mane emergere putabantur. — *Lucifer*, stella fulgens, comparatur cum Germanico iuventute et pulchritudine splendido. Eodem modo pulchritudo Roscii comœdi cum Aurora exoriente comparatur in Lutatii Catuli epigrammate apud Cic. De nat. de. I. 28, 79.

V. 51–52. *diserti*, oratoris eloquentis. — *Spemque decens doctæ vocis amictus habet*, i. e. ipsa toga festiva, qua, ut oratorem decet, indutus est, in spectatore spem suscitat eloquentiæ.

V. 57. *vertice sidera tangas*, ex Hor. Carm. I. 1, 36: «Sublimi feriam sidera vertice».

V. 63. *Pieridum*, cf. ad Trist. III. 2, 3.

V. 67–68. *Thyrsus enim nobis, gestata est laurea vobis*, i. e. thyrsos gestant poetæ, tamquam comites Bacchi, poetarum patroni, lauream oratores, tamquam belli in foro gesti præmium; cf. infra IV. 6, 29: «quid valeas . . . Marte forensi» et Plin. N. H. VII. 30, 31: «Salve primus in toga triumphum linguæque lauream merite». — *calor*, sc. pectoris, impetus quidam sacer; cf. Ov. Fast. VI. 5, (de poetis): «Est deus in nobis, agitante calescimus illo» et Ex Pont. IV. 2, 25: «Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit.

V. 72. *sacra*, fœdera, ut supra vs. 60.

V. 73. *de quo censeris*, propter quem æstimaris, cui honorem tuum debes; cf. infra III. 1, 75: «Hoc domui debes, de qua censeris». — *amicus*, sc. Germanicus.

V. 75–76. *Succedatque tuis orbis moderator habenis*, ut Germanicus olim imperator sit et tunc quoque se subiciat magisterio tuo. — *populi vota precantur idem*, sc. ut Germanicus olim imperator fiat; erat enim Germanicus iuvenis populo Romano carissimus, eo magis invisus Tiberio. Ovidius igitur hoc loco verbis usus est parum cautis.

Lib. II. epist. 6.

Ad Græcinum.

Ad eundem supra I. 6., ubi cf. adn.

V. 1. *præsens voce solebat,* sc. te salutare.

V. 5. *Corripis . . . stulti peccata sodalis.* Græcinus igitur in epistula quadam obiurgavit Ovidium propter culpam illam, qua Augusti iram in se verterat. — *stulti*, cf. ad Trist. I. 2, 99.

V. 9. *Ceraunia*, ὄρη Κεραύνια sive promunturium Acroceraunium in litore Epiri apud Oricum, periculosum navigantibus propter saxa.

V. 14. *mento supposuisse manum,* cf. supra ad II. 3, 39.

V. 25–26. *Strophio atque Agamemnone nati,* Pylades et Orestes. Strophius enim, rex Phocidis, erat Pyladis pater. — *Aegidæ Pirithoique*, cf. ad Trist. I. 5, 19. — *Aegidæ*, Theseus, Aegei filius.

V. 28. *In quorum plausus tota theatra sonant*, sc. quotiens talia amicitiæ exempla aguntur in scena; cf. Cic. De fin. V. 63: «Qui clamores vulgi atque imperitorum excitantur in theatris, cum illa dicuntur: Ego sum Orestes».

V. 32. *Non erat . . . gratia surda,* neque muta; i. e. referam tibi gratiam carminibus laudatoriis.

V. 35. *lasso*, afflicto; cf. ad Trist., I. 5, 35.

V. 37–38. *remo tamen utor in aura*, de labore supervacuo dictum; nautæ enim in aura velis tantum utuntur, remis opus non est; cf. Trist. V. 14, 44: «Vela damus, quamvis remige puppis eat». — *admisso*, admissis habenis celeriter currenti.

Lib. II. epist. 7.

Ad Atticum.

Ad eundem supra II. 4., ubi cf. adn.

V. 2. *male pacatis*, bellicosis, turbulentis. — *Getis*, cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 20. *Verbaque Fortunæ . . . dari*, cf. ad II. 1, 6.

V. 24. *planus*, plănus, i. e. fallax.

V. 25—26. *Cinyphiæ . . . segetis*, segetis Africæ, quæ erat provincia Romanorum fertilissima. — *Cinyphiæ*, Africæ; Cinyps enim est fluvius Libyæ inter duas Syrtes. — *Hybla*, cf. ad Trist. V. 6, 37—38. — *thymis*, cf. ad Trist. V. 13, 22.

V. 34. *Ilias est fati longa futura mei*, i. e. scribendum sit carmen de fatis meis tam longum, quam Ilias Homeri.

V. 44. *Appia*, sc. via; cf. ad I. 8, 68.

V. 45. *cæcata*, stupefacta.

V. 48. *perii dotibus ipse meis*, sc. poeticis; alludit ad Artem Amatoriam, carmen elegantissimum, qua Augusti iram in se vertit; cf. Trist. II. 2: «Ingenio perii qui miser ipse meo».

V. 51. *suorum*, cognatorum et amicorum.

V. 54. *Obruit hoc absens vasta procella caput*, Ovidius enim in insula Ilvæ morabatur eo tempore, quo culpa eius Romæ innotuit; cf. ad II. 3, 84.

V. 55. *Addita sunt pœnis aspera verba meis*, alludit ad edictum principis relegatorium; cf. Trist. II. 133: «Tristibus invectus verbis — ita principe dignum — Ultus es offensas, ut decet, ipse tuas . . . edictum . . . immite minaxque».

V. 57—58. *proiectus in æquor*, sc. cum relegatus navem conscendere coactus erat. — *Arcturum subii*, cf. ad Trist. I. 4, 1. — *Pleiadumque minas*, cum Pleiades occidunt (mense Novembri), incipiunt tempestates hibernæ: cf. Plin. N. H. XVIII. 69, 286: «Vergiliæ (i. e. Pleiades) . . . quarum exortu æstas incipiat, occasu hiems». — *Pleiadumque*, cf. ad I. 5, 82.

V. 59—60. *hiemem*, Ovidius relegatus in mari Adriatico navigavit mense Decembri; cf. Trist. I. 11, 3—4. — *Ithacæ puppi*, navi Ulixis, regis Ithacæ.

V. 62. *Ditata est spoliis perfida turba meis*, cf. ad Trist. I. 5, 64.

V. 64. *sub ambobus . . . polis*, sc. cæli.

V. 67—68. *tua laurea*, tuæ victoriæ. — *finitimo . . . ab hoste*, cf. supra ad I. 3, 59—60.

V. 70. *Non patitur verti barbarus hostis humum*, cf. I. 8, 49—62.

V. 72. *Sarmatico*, cf. ad Trist. I. 2, 82.

V. 74. *Aequoreo bibitur cum sale mixta palus*, cf. ad Trist. III. 3, 7.

Lib. II. eleg. 8.

Ad Cottam Maximum.

Ad eundem supra I. 5, ubi cf. adn.

V. 1. *Redditus est,* Cotta misit Ovidio nummum argenteum (cf. vs. 5—8.) cum imaginibus Augusti, Tiberii et Liviæ. — *Cæsar cum Cæsare,* Augustus cum Tiberio, filio adoptivo suo.

V. 4. *Livia,* uxor Augusti, mater Tiberii.

V. 5—6. *Argentum,* i. e. nummus argenteus. — *pretium,* metallum pretiosum.

V. 17. *Palatia,* domus Augusti in monte Palatino, cf. Trist. III. 1, 31—48.

V. 20. *Nam patriæ faciem sustinet ille suæ,* cf. Trist. V. 2, 49. (ad Augustum): «o patriæ per te florentis imago».

V. 29. *tori sociam,* Liviam.

V. 31. *natum,* Tiberius, filius adoptivus et heres Augusti.

V. 33. *nepotes,* Drusus minor et Germanicus; cf. ad II. 2, 83.

V. 36. *procul Scythico qui sit ab hoste,* cf. ad I. 1, 79.

V. 37. *a Cæsare proxime Cæsar,* Tiberius, heres Augusti.

V. 39. *Germania,* hoc tempore (an. 12. p. Chr. n.) Tiberius in Germania bellum gerebat, ut cladem Vari Teutoburgiensem (an. p. Chr. n. 9.) ulcisceretur.

V. 41. *Pylios,* ut Nestor Pylius. — *Cumæos . . . in annos,* ut Sibylla Cumaea, Deiphobe, quæ se septingentesimum annum agere Aeneæ narravit.

V. 43. *nupta,* sc. Livia.

V. 45—46. *vir,* Augustus. — *prole,* Tiberius. — *nepotes,* Germanicus et Drusus minor. — *nuribus,* uxores nepotum: Agrippina, uxor Germanici et Livia, uxor Drusi minoris. — *quod pepercre nurus,* i. e. liberi nepotum.

V. 47. *rapuit Germania Drusum,* Drusus, filius Claudii Neronis et Liviæ, privignus Augusti, frater Tiberii, qui e Germania subacta rediens equo delapsus et, crure facto, brevi post tempore mortuus est an. 9. a. Chr. n.

V. 49—50. *fraterni funeris ultor,* Tiberius. — *Purpureus niveis . . . instet equis,* toga picta indutus vehatur curru triumphali. Tibe-

rius postea (mense Ianuario an. p. Chr. n. 13.) re vera triumphavit, at non de Germania, quam subigere non potuit, sed de Pannonia et Illyria an. p. Chr. n. 6—9. subactis, quem triumphum propter cladem Vari Teutoburgiensem (cf. supra ad vs. 39.) distulerat; cf. ad II. 1, 1.

V. 53—54. *Cæsaris adventu tacta gladiator arena Exit*, i. e. gladiator vulneratus et iam humi iacens, si Cæsar circum intrat, non occiditur.

V. 64. *Ne sit in inviso vestra figura loco*, i. e. ne hic nummus una mecum semper Tomis maneat.

V. 66. *fossis . . . genis*, genæ hoc loco caveas oculorum significant, ut Propert. III. 12, 26: «Exustæque tuæ mox, Polypheme, genæ» et IV. 5, 16: «Cornicum immeritas eruit ungue genas»; Ov. Met. XIII. 50: «digitos in perfida lumina condit Expilatque genis oculos». — *lumen*, oculos.

V. 69—70. *Geticis*, cf. ad Trist. III. 3, 1. — *aquilas*, legionum signa.

V. 72. *spes exilii commodioris*, cf. ad I. 1, 79.

Lib. II. epist. 9.

Ad Cotyn.

Cotys, rex Thraciæ, amicus atque socius populi Romani, filius Rhœmetalcis regis, erat poeta Græcus (cf. infra vs. 51. sqq.) non mediocris. Eundem laudat epigrammate Antipater Thessalonicensis Anth. Planud. IV. 75.

V. 2. *Nomen in Eumolpi*, vates Thracius, Eumolpus, qui in Atticam migrasse ibique mysteriorum Eleusiniorum cultum condidisse putabatur, Reges igitur Thraciæ ab hoc Eumolpo originem ducere volebant.

V. 4. *tibi finitimi . . . soli*, Mœsia provincia, ubi erat oppidum Tomorum, a meridie finitima erat regno Thraciæ. — *iacere*, vivere in miseria; verbum enim *iacendi* sæpe usurpatur de misero et afflicto hominis statu, qualis est exulis.

V. 9—10. *duro*, crudeli. — *Ne fuerit terra tutior unda tua*, alludit ad feras Thraciæ gentes; cf. ad Trist. I. 11. 25—26. —

undis, iter maritimum, quod fecit Ovidius relegatus Tomos petens per mare Adriaticum et Aegaeum descripsitque Trist. I. 2, 4, 10, 11.

V. 18. *a superis*, ab Erichthonio, qui erat filius Dardani, Dardanus autem filius Iovis et Electræ, filiæ Atlantis.

V. 20. *Erichthonius*, filius Dardani, regis Troiani (cf. Ov. Fast. IV. 33.), a quo Ovidius hoc loco originem Cotyis deducere videtur.

V. 30. *Accipiat gravidæ cur suis exta Ceres*, cf. Serv. ad Verg. Ge. II. 380: «Victimæ numinibus aut per similitudinem aut per contrarietatem immolantur ... per contrarietatem, ut porca, quæ obest frugibus, Cereri, et caper, qui obest vitibus, Libero».

V. 31—32. *intonso* ... *Baccho*, semper iuveni; iuvenes enim Græci crines intonsos habebant usque ad virilem ætatem; cf. Tibull. I. 4. 35: «Solis æterna est Baccho Phœboque iuventas: Nam decet intonsus crinis utrumque deum». — *caper hostia Baccho*, cf. supra ad vs. 30. — *sub adducto* ... *pede*, cf. Tibull. I. 7. 35—36: «Illi iucundos primum matura sapores Expressa insuetis uva dedit pedibus» et II. 1, 45: «Aurea tum pressos pedibus dedit uva liquores». — *adducto*, impresso.

V. 37. *iacenti*, afflicto; cf. supra ad vs. 4.

V. 38. *parente tuo*, Rhoemetalces, rex Thraciæ, qui auxilium tulit Tiberio in Pannonia et Illyria (an. 6—9. p. Chr. n.) bellum gerenti; cf. Vell. Pat. II. 112: «Quippe magnam Thracum manum ... Rhoemetalces, Thraciæ rex, in adiutorium eius belli secum trahebat».

V. 41. *Antiphaten Læstrygona*, cf. ad II. 2, 116. — *Alcinoi*, Alcinous, rex Phæacum, qui Ulixem naufragum benignissime hospitio excepit.

V. 43—44. *Cassandreus*, Cassandrea, urbs Macedoniæ in pæninsula Chalcidice, ubi olim dominabatur Apollodorus, tyrannus crudelissimus (circa an. 279. a. Chr. n.) — *gentisve Pheræe*, Pheræ, urbs in Thessalia, ubi tyrannus crudelissimus regnabat, Alexander Pheræus an. 369—358. a. Chr. n. — *Quive repertorem torruit arte sua*, Phalaris; cf. Trist. III. 11, 39—52. et adn. ad h. l.

V. 51—52. *Carmina testantur*, erat enim Cotys rex etiam poeta. — *Threicium iuvenem composuisse negem*, erat enim Thracia terra barbara; cf. supra ad vs. 10.

V. 53—54. *Orpheus*, vates fabulosus Thraciæ. — *Bistonis*, cf. ad Trist. I. 10, 23—24.

V. 55—56. *arma Sumere*, de rebus bellicis Cotyis cf. supra I. 8, 11—20. et adn. ad h. l.

V. 59—60. *studiis* . . . *paternis*, bellicis; alludit ad Rhœmetalcen, patrem Cotyis, regem Thraciæ bellicosum; cf. supra ad vs. 38. — *suis numeris*, officiis, muneribus; cf. Ov. Am. III. 7, 17—18: «Quæ mihi ventura est, siquidem ventura, senectus, cum desit numeris ipsa iuventa suis?»

V. 61. *Pieria*, Musæa, poetica; cf. ad Trist. III. 2, 3.

V. 64. *Eiusdem sacri*, poeseos: poetæ enim, cum carmina scribunt, Musis sacra facere videntur.

V. 69—70. *subiecta . . . tabella*, in tabula testamenti falsi. — *linis*, quibus tabulæ testamenti vinctæ erant. — *notam*, signum ex cera.

V. 73. *Artem*, sc. Amatoriam.

V. 78. *Qui nisi natalem nil mihi dempsit humum*, cf. ad Trist. I. 7, 8.

Lib. II. epist. 10.

Ad Macrum.

Macer, poeta epicus (cf. infra vs. 13—14.) et propinquus tertiæ Ovidii uxoris (cf. infra vs. 10.) fuit, ad quem scripta est Amor. II. 18. et fortasse etiam Trist. I. 8. Multi hunc Macrum suspicantur eundem esse atque Pompeium Macrum, de quo Sueton. Cæs. 56: «Augustus in epistula . . . ad Pompeium Macrum, cui ordinandas bibliothecas delegaverat».

V. 1. *imagine*, imago gemmæ anuli signatorii incisa et ceræ impressa. — *ceræ*, qua litteræ obsignabantur.

V. 7. *gemmæque*, gemma anuli signatorii. — *manusque*, scriptura Ovidii.

V. 10. *mea quod coniunx non aliena tibi*, uxor Ovidii propinqua (cognata) Macri fuisse videtur.

V. 11—12. *studiis*, sc. poeticis. — *Arte*, sc. Amatoria.

V. 13—14. *Tu canis æterno quidquid restabat Homero*, scripsit enim Macer Antehomerica, i. e. historiam belli Troiani ante iram

Achillis: cf. Ov. Am. II. 18, 1—2. (ad eundem Macrum): «Carmen ad iratum dum tu perducis Achillen Primaque iuratis induis arma viris». — *æterno . . . Homero,* immortali, ut Tibull. IV. 1. 180: «æterno propior non alter Homero». — *summa . . . manu,* ultima manu, perfectione.

V. 16. *communia sacra poetis,* cf. supra ad II. 9, 64.

V. 21—22. *Te duce* etc., Ovidius iuvenis hæc itinera una cum Macro fecisse videtur. — *Asiæ,* sc. Minoris. — *Trinacris,* Trinacria, Sicilia a forma triangulari.

V. 23—24. *Aetnæa . . . flamma,* Aetna, mons Siciliæ ignem vomens. — *Suppositus monti quem vomit ore Gigas,* Typhon, Gigas ignem vomens, quem Iuppiter Aetnæ supposuit.

V. 25—26. *Hennæosque lacus,* Henna, urbs Siciliæ. — *olentis stagna Palici,* recte: Palicorum; agitur enim de duobus Palicis, filiis Iovis et nymphæ Thaliæ, quibus sacri erant duo fontes sulfurati ad *Παλικὴν,* Siciliæ urbem; cf. Ov. Met. V. 405: «olentia sulfure . . . stagna Palicorum». — *suis Cyanen miscet Anapus aquis,* Cyane, fons ad Syracusas, urbem Siciliæ, influit in fluvium Anapum.

V. 27. *nympha,* Arethusam, nympham Arcadiam, comitem Dianæ, Alpheus, amnis Elidis (i. e. deus fluvii Alphei), amore incensus fugientem persecutus est: tum Arethusa, a Diana in fontem mutata, sub mari Ionio cucurrit usque ad Ortygiam, insulam Syracusis vicinam, ubi fons Arethusa permansit. Cf. Verg. Aen. III. 692. et Ov. Met. V. 574.

V. 30. *Getis,* cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 33. *rate . . . picta,* naves antiquorum sæpe picturis erant ornatæ.

V. 41. *res,* sc. serias.

V 45. *sub cardine mundi,* sub polo septentrionali cæli. — *Qui semper liquidis altior extat aquis,* haud procul a polo septentrionali cæli est sidus Ursæ, quod nunquam occidit, i. e. non mergitur Oceano; cf. ad Trist. I. 2, 29.

V. 48. *gelido . . . sub axe,* sub polo septentrionali cæli.

V. 51—52. *regio . . . ista,* sc. Roma. — *Istic,* sc. Romæ; cf. ad Trist. III. 3, 25.

Lib. II. epist. 11.

Ad Rufum.

Rufus, aliunde non notus ,erat avunculus tertiæ Ovidii uxoris; cf. infra vs. 15—16.

V. 2. *parum faustæ . . . Artis*, Artis Amatoriæ, qua Augusti iram in se vertit.

V. 7. *prius hanc animam vacuas reddemus in auras*, cf. Trist. III. 3, 61: «Nam si morte carens vacua volat altus in aura Spiritus».

V. 9—10. *lacrimas . . . cum*, sc. cum Ovidius in exilium iret. — *ora . . . cum mea concreto sicca dolore forent*, i. e. cum ora mea dolore concreta essent (i. e. rigescerent) ita, ut ne lacrimare quidem possent.

V. 15—16. *quod Hermiones Castor fuit, Hector Iuli*, Hermione erat filia Helenæ, Castor autem frater Helenæ, ergo avunculus Hermionæ; Iulus erat filius Aeneæ et Creusæ, Creusa autem soror Hectoris, ergo Hector avunculus Iuli. — *Hoc ego te . . . coniugis esse meæ*, i. e. avunculum esse.

V. 21—22. *ad palmæ . . . cursurus honores . . . equus*, sc. in certamine curruum in circo. — *palmæ*, victoriæ insigne iam in ludis Olympicis.

V. 28. *Fundani . . . soli*, Rufus igitur Fundis, urbe Latii ad viam Appiam, oriundus fuisse videtur.

AD LIBRUM TERTIUM.

Lib. III. epist. 1.

Ad uxorem.

Ad eandem supra I. 4., ubi cf. adn.

V. 1. *Iasonis . . . remige,* cf. ad I. 4, 23.

V. 4. *In minus hostili . . . loco,* cf. ad I. 1, 79. — *abesse,* exulare, in relegatione esse: cf. Fest. s. v. *relegati* (p. 386. ed. Thewrewk): «Relegati dicuntur proprie, quibus ignominiæ aut pœnæ causa necesse est ab urbe Roma . . . *abesse*».

V. 13. *Nec tibi pampineas . . . uvas,* cf. Trist. III. 10, 71—73. et adn. ad h. l.

V. 17. *laticis nisi pœne marini,* cf. ad Trist. III. 3, 7.

V. 19. *felix,* fecunda.

V. 21. *in ulvis,* ex mea coniectura; codices perperam: *silvis;* agitur enim de avibus marinis, non silvestribus.

V. 23. *absinthia,* cf. ad Trist. V. 13, 21—22.

V. 26. *mortifera tabe sagitta madet,* cf. ad Trist. III. 10. 64. et V. 7, 16. — *tabe,* veneno.

V. 28. *Nec pede . . . tutus,* propter feras Thraciæ Mœsiæque gentes: cf. ad I. 11, 25—26. — *nec rate tutus,* propter tempestates Ponti Euxini.

V. 31. *evincere,* efficere, impetrare.

V. 43—44. *Magna tibi imposita est nostris persona libellis,* sc. in epistulis Tristium ad uxorem missis. — *Coniugis exemplum diceris esse bonae,* cf. Trist. IV. 3, 72: «Exemplumque mihi coniugis esto bonæ».

V. 46. *famae quod tuearis opus*, pro *opus* scribendum censeo: *onus*; i. e. vide, quantum gloriæ onus portare debeas.

V. 51—52. *Capaneus*, cf. ad Trist. IV. 3, 63—64. — *Amphiaraus*, Argivus, unus ex septem ducibus Thebas oppugnantibus, qui una cum curru suo bellico in terra demersus est.

V. 54. *Philoctetæ*, cf. ad Trist. V. 1, 61—62.

V. 58. *Coa Bittide*, cf. ad Trist. I. 6, 2.

V. 59. *scæna*, hoc loco non scænam ipsam, sed theatrum et spectatores significare videtur.

V. 69. *venis fugientibus*, pulsu venarum deficiente.

V. 73—78. Hos versus interpretatione instruximus in commentario Tristium p. 129. sqq., quod vide.

V. 75. *de qua censeris*, cui æstimationem tuam debes; cf. ad II. 5, 73.

V. 85—86. *iaceam*, cf. ad II. 9, 4. — *Clauda*, manca.

V. 91. *Fortibus*, sc. militibus.

V. 93—94. *testataque*, sensu passivo. — *virtus*, fortitudo, audacia.

V. 95—96. *Amazonia . . . securis*, Amazones, feminæ bellicosæ in litore meridionali Ponti Euxini, in regione fluminis Thermodontis, habitantes in pugna securibus plerumque utebantur. — *excisa . . . pelta*, scutum Amazonibus proprium formam lunæ dimidiatæ habens.

V. 97. *Numen*, uxor Augusti, Livia; cf. infra vs. 114.

V. 100. *deos*, Cæsares.

V. 106. *Admeti coniunx*, Alcestis; cf. ad Trist. V. 5, 55.

V. 108. *fraude pudica*, de dolo noto Penelopes cf. Ov. Am. III. 9, 30: «nocturno tela retexta dolo» et Propert. II. 9. 5: «Coniugium falsa poterat differre Minerva Nocturno solvens texta diurna dolo».

V. 110. *Laodamia*, cf. ad Trist. I. 6, 20.

V. 111. *Iphias*, Euadne, Iphios filia; cf. ad Trist. IV. 3. 63—64.

V. 113—114. *Icariotide tela*, Penelope erat filia Icarii. — *Cæsaris . . . coniunx*, Livia, uxor Augusti.

V. 118. *cælesti . . . toro*, toro Augusti; cf. ad II. 2, 71.

V. 119—120. *Procne*, cf. ad Trist. II. 389. — *Filiave Aeetæ*, Medea, filia Aeetæ, regis Colchidis, quæ liberos suos ipsa occidit.

V. 121—122. *nurus Aegypti*, una Danaidum; filiæ enim Danai

iussu patris sponsos suos, filios Aegypti, necaverunt. — *Agamemnonis uxor*, Clytaemnestra, quæ maritum Troia reversum occidit. — *Scyllaque*, monstrum in freto Siculo formam virginis habens, cuius ex inguine latrantes canes eminuerunt.

V. 123—124. *Telegonive parens*, Circe, mater Telegoni ex Ulixe. — *vertendis nata figuris*, quia Ulixis socios in bestias convertit. — *Medusa*, cf. ad I. 2, 37.

V. 126. *cæca*, cæcitatis. Fortuna enim vulgo cæca dici solet.

V. 131. *sortis*, vaticinia.

V. 143—144. versus inepti; spurii esse videntur.

V. 145. *Iunonis*, Liviæ; eodem modo Augustum sæpe Iovem appellat.

V. 151. *sævo . . . ab hoste recedam*, cf. ad I. 1, 179.

V. 159. *Lux*, dies.

V. 164. *Progeniemque*, Tiberium, filium adoptivum et heredem Augusti. — *participemque tori*, Liviam.

Lib. III. epist. 2.

Ad Cottam Maximum.

Ad eundem supra I. 5, ubi cf. adn.

V. 2. *Missa sit ut vere*, cf. ad II. 5, 3

V. 5. *Cumque labent aliqui*, referendum ad amicos poetæ parum fideles.

V. 10. *Iunctaque*, vicina. — *percusso*, sc. homini fulmine percusso.

V. 11. *ruinæ*, cf. ad Trist. II. 83—86.

V. 21. *candor*, bonitas, benevolentia.

V. 19—30. *illa*, sc. gratia mea erga amicos fideles. — *a memori posteritate legar*, referendum ad carmina, quibus amicos fideles laudat.

V. 34. *Theseus*, cf. ad Trist. I. 5, 19. — *qui comitavit Oresten*, Pylades; cf. ad Trist. I. 5, 21—22.

V. 37. *Sauromatæ*, sive Sarmatæ; cf. ad Trist. I. 2, 82. et II. 198. — *Getæque*, cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 40. *Getice Sarmaticeque loqui*, cf. ad Trist. I. 2, 82.

V. 45. *Est locus in Scythia*, sequitur fabula de Iphigenia Tau-

rica; eadem fabula narratur Trist. IV. 4, 63—82. — *Scythia*, cf. ad Trist. III. 4, 46. — *Tauros*, cf. ad Trist. IV. 4, 63—64.

V. 48. *Consortem Phœbi*, sororem, i. e. Dianam.

V. 51. *signum cœleste*, statua Dianae.

V. 54. *Decolor*, genuino colore amisso.

V. 55. *tædæ non nota iugali*, innupta. — *tædæ . . . iugali*, cf. ad I. 2, 133: «ignes».

V. 58. *Advena . . . ense cadat*, cf. Herod. IV. 103. (de sacris Tauricis): *θύουσι μὲν τῇ παρθένῳ τούς τε ναυηγοὺς καὶ τοὺς ἂν λάβωσιν Ἑλλήνων ἀπενεχθέντας.*

V. 59—60. *Thoans*, sive Thoas, rex Taurorum; cf. ad Trist. IV. 4, 65—66. — *Mæotide*, cf. ad Trist. III. 12, 2. — *Euxinis . . . aquis*, in regione Ponti Euxini.

V. 61—62. *liquidas fecisse per auras . . . Iphigenian iter*, cf. ad Trist. IV. 4, 67—68.

V. 63—64. *sub nube*, nebula circumdatam. — *Phoebe*, Diana, soror Phoebi.

V. 69—70. *Orestes*, filius Agamemnonis, frater Iphigeniæ. — *Pylades*, cf. ad Trist. I. 5, 21.

V. 71. *Triviæ*, Diana, quæ sæpe confunditur cum Hecate, dea inferorum, in triviis (unde *τριοδῖτις*) præcipue culta. — *Ambiit ut fulvas infula longa comas*, cf. ad Trist. IV. 4, 78.

V. 75. *tempora*, sc. sua. — *vittis*, sc. vittis infulæ; cf. ad Trist. IV. 4, 78.

V. 82. *Consortes*, cives. — *urbis . . . suæ*, sc. Mycenarum.

V. 88. *par*, sc. hoc par amicorum.

V. 90. *exarat*, sc. in tabula cerata.

V. 93. *de templo rapiunt simulacra Dianæ*. Orestes enim oraculo iussus est hoc simulacrum Dianæ domum referre, ut liberaretur persecutionibus Furiarum, quæ eum ob cædem matris Clytæmnestræ in insaniam egerant.

V. 101. *Ausonia . . . in urbe*, in urbe Italica, Romæ.

V. 105—106. *Volesus*. M. Valerius Messalla, Cottæ Maximi pater, originem ducere putabatur a Voleso Valerio, qui Romuli tempore una cum Tito Tatio, rege Sabinorum, Romam migravit. Cf. Liv. II. 30. — *Numa maternus*. M. Valerii Messallæ uxor, Cottæ Maximi mater, Aurelia, filia Marciæ cuiusdam fuisse videtur;

Marcii enim originem ducebant a Numa Marcio, comite Numæ Pompilii regis et in sacris ordinandis adiutore.

V. 107. *Adiectaque . . . genetiva ad nomina Cottæ.* M. Valerii Messallæ filius minor, ad quem hæc epistula scripta est, a matris fratre, Aurelio Cotta, adoptatus nomen accepit Aurelii Cottæ Maximi.

V. 109. *serie,* sc. avorum.

Lib. III. epist. 3.

Ad Fabium Maximum.

Ad eundem supra I. 2., ubi cf. adn.

V. 4. *sopor,* somnium.

V. 6. *Mense fere medio,* tempore plenilunii.

V. 14. *Fulcra . . . acerna,* sc. lecti, ubi Ovidius dormivit; cf. Propert. II. 3, 21: «Nec mihi tum fulcro sternatur lectus eburno».

V. 15. *crinale,* Amor crinali gemmato capillos vincire solebat; cf. Ov. Am. I. 2, 41. (de Amore): «gemma variante capillos».

V. 23—24. *exilii decepto causa magistro,* alludit ad Artem Amatoriam, exilii sui causam, qua magister amoris factus est. — *Quem fuit utilius non docuisse mihi,* cf. supra I. 4, 41: «Cupidinis artes, Quas a me vellem non didicisset Amor».

V. 26. *astrictis,* sc. frigore.

V. 28. *invidiosa,* odiosa.

V. 30. *Apposui senis te duce quinque pedes,* i. e. scripsi carmina amatoria distichis elegiacis (hexametro et pentametro) composita.

V. 31. *Mæonio,* epico; cf. ad Trist. I. 1, 47. — *consurgere,* i. e. humili elegiarum amatoriarum materia relicta se in altius tollere; cf. Propert. II. 10, 11: «Surge, anime, ex humili iam carmine».

V. 33. *arcus et ignis,* arcus et fax, quæ Amor gestare solet.

V. 35. *tuæque parentis,* Veneris.

V. 37. *stulto quoque carmine,* Arte Amatoria.

V. 41—42. *Chionides Eumolpus,* filius Chiones et Neptuni. — *Eumolpus,* cf. ad II. 9, 2. — *in Orphea,* magister Eumolpi erat igitur Orpheus; cf. ad II. 9, 53. — *Phryga . . . Satyrum . . . Olympus,*

Marsyas, satyrus Phrygius, tibiarum cantu celeberrimus, cuius discipulus erat Olympus, tibicen fabulosus.

V. 43. *Chiron ab Achille*, Chiron centaurus docuit Achillem puerum fidibus canere. — *Pythagoræque Numam*, Numa Pompilius rex Romanorum a Pythagora philosopho sapientiam suam didicisse putabatur; cf. Ov. Met. XV. 60. sqq.

V. 49—50. *liquido*, fide liquida, i. e. pura. — *Non me legitimos sollicitasse toros*, i. e. non docuisse adulterium; cf. ad Trist. II. 247—250.

V. 51—52. *illis*, sc. meretricibus. — *vitta . . . stola longa*, cf. ad Trist. II. 247—250: «vittæ . . . instita longa».

V. 55—56. *omnis rigide summota libellis*, alludit ad proœmium Artis Amatoriæ (I. 31—34.): «Este procul vittæ tenues, insigne pudoris, Quæque tegis medios instita longa pedes! Nos Venerem tutam concessaque furta canemus Inque meo nullum carmine crimen erit». — *omnis*, sc. mulier. — *viros*, amatores.

V. 57—58. *lege severa*, lege Iulia de adulteriis ab Augusto lata. — *notas*, tamquam dedecora, turpitudines; cf. Trist. II. 211: «turpi carmine factus Arguor obsceni doctor adulterii».

V. 60. *lampades*, faces; cf. supra ad vs. 33.

V. 62. *Cæsar*, Augustus. — *ab Aenea est qui tibi fratre tuus*, Amor et Aeneas sunt Veneris filii; Augustus autem originem ducit ab Iulo, Aeneæ filio; cf. supra ad I. 1, 35—36. — *tuus*, sc. cognatus.

V. 64. *loco plecti commodiore*, cf. ad I. 1, 79—80.

V. 69—70. *Nil nisi concessum* etc., cf. Ov. A. A. I. 33—34: «Nos Venerem tutam concessaque furta canemus Inque meo nullum carmine crimen erit».

V. 75. *erroris*, cf. ad Trist. I. 2, 99.

V. 80. *Phasias*, Medea, cuius pater Aeetes rex erat in Colchide ad flumen Phasin, in litore orientali Ponti Euxini. — *est telis fixa puella meis*, sc. ut Iasonem amaret.

V. 82. *o castris miles amice meis*, cf. Ov. Am. I. 9, 1: «Militat omnis amans et habet sua castra Cupido» et A. A. II. 233: «Militiæ species amor est».

V. 86. *triumphus*, sc. Tiberii de Pannonia et Illyria; cf. ad II. 1, 1.

V. 87—88. *nati*, sc. Germanicus et Drusus minor, filii Tiberii; cf. ad II. 2, 83—84. — *mater*, sc. Tiberii. — *patriæ . . . pater*, Augustus; cf. ad I. 1, 36. — *ducisque*, Tiberii.

V. 96. *Memnonio . . . colore*, nigro: Memnon enim, Auroræ filius, erat rex Aethiopum.

V. 98. *terebinthus*, arbor, quæ nunc a viris doctis *Pistacia terebinthus L.* vocatur: habet lignum nigri splendoris secundum Plin. XIII. 54. — *ebur*, albus color eboris opponitur terebintho nigro: cf. Verg. Aen. X. 136: «inclusum . . . Oricia terebintho Lucet ebur».

V. 100. *Herculeæ simplicitatis*, gens Fabia ab Hercule originem ducere putabatur.

V. 104. *ingenio*, erat Fabius orator præclarus; cf. ad I. 2, 69.

V. 106. *felle*, veneno viperino; cf. ad Trist. III. 10, 64. et V. 7, 16.

Lib. III. epist. 4.

Ad Rufinum.

Ad eundem supra I. 3., ubi cf. adn.

V. 1. *Tomitana*, cf. ad Trist. I. 2, 85.

V. 3. *Triumpho*, significat carmen Ovidii in triumphum Tiberii Illyricum; cf. supra ad II. 5, 28.

V. 5. *vestrisque paratibus*, vestris carminibus de triumpho Tiberii scriptis. Unde etiam Rufinum poetam fuisse elucet. — *paratibus*, significat carmina magna cum cura composita.

V. 7. *Machaona*, cf. ad I. 3, 5.

V. 13. *candore*, bonitas, benevolentia.

V. 19—20. *vulgo*, ex fama vulgari. — *oculi fama fuere mei*, fama oculorum meorum vice functa est.

V. 22. *Rebus ab auditis conspicuisque*, cf. Hor. A. P. 180: «Segnius irritant animos demissa per aurem, Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus».

V. 23—24. *argenti*, simulacra oppidorum captorum ex argento facta et in triumpho portata: cf. ad II. 1, 37—38. — *auri*, cogitandum de tropæis inauratis: cf. II. 1. 41—42: «Deque tropæorum, quod sol incenderit, auro Aurea Romani tecta fuisse fori» et adn.

ad h. l. — *purpuraque*, toga picta (i. e. purpurea) ducis triumphantis.

V. 25—26. *loca . . . gentes . . . prœliaque*, i. e. imagines locorum, gentium et prœliorum in triumpho portatæ; cf. ad II. 1, 39—40.

V. 27. *regum*, sc. captivorum. — *pignora*, indicia.

V. 34. *hoc . . . loco*, regione Tomitana.

V. 35. *ducis*, Tiberii. — *in curru . . . eburno*, in curru triumphali ornamentis eburneis instructo.

V. 39. *ducum*, sc. hostilium. — *locorum*, ubi pugnæ commissæ sunt.

V. 47. *bona . . . verba*, verba boni ominis et læta; cf. ad II. 1, 35.

V. 58. *freti*, maris, Ponti Euxini.

V. 64. *vice*, occasione.

V. 67. *communia sacra*, cf. ad II. 9, 64.

V. 70. *Hac . . . parte*, sc. animi.

V. 73—74. *lædere vivos Livor et iniusto carpere dente solet*, cf. Ov. Am. I. 15, 39: «Pascitur in vivis livor» et Trist. IV. 10, 113: «Nec, qui detrectat præsentia, Livor iniquo Ullum de nostris dente momordit opus.»

V. 75. *terra moratur*, i. e. ego iam mortuus sum, tantum sepultura (funus) moratur (i. e. restat) adhuc.

V. 79—80. *Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas*, cf. Tibull. IV. 1, 7: «Est nobis voluisse satis» et Propert. II. 10, 5: «Quod si deficient vires, audacia certe Laus erit: in magnis et voluisse sat est». — *deos*, Cæsares.

V. 83—84. *subsistere*, sufficere, respondere. — *Aeneidos vati*, Vergilio, poetæ epico.

V. 85—86. *molles elegi*, carmen igitur triumphale Ovidii compositum erat distichis elegiacis; *molles*, quia argumentum elegiæ proprium est amor, non facta heroum; præcipue autem *mollis versus* est pentameter; cf. Hermesianactis versus (apud Athen. XIII. p. 597. F.) de Minnermo elegiaco: *τὸν ἡδὺν ὃς εὕρετο πολλὸν ἀνατλὰς Ἦχον καὶ μαλακοῦ πνεῦμ' ἀπὸ πενταμέτρου.* — *disparibus . . . rotis*, versibus disparibus, quia hexameter longior est pentametro.

V. 87—88. *pede*, versu, metro. — *Alter enim de te, Rhene,*

triumphus adest, ut ex hoc vs. et infra ex vss. 99—100. elucet, Ovidius putabat Tiberium post triumphum de Illyria in Germaniam rediturum, ut bellum ibi ann. p. Chr. n. 10—12. inceptum finiret et mox etiam de Germania triumpharet. Quod non evenit: nam Augustus Caesarem Germanicum misit in Germaniam ad reliqua belli patranda. Cf. Vell. Pater. II. 123. — *Rhene*, Germaniam significat.

V. 89—90. *motorum*, divino quodam monitu permotorum. — *Danda Iovi laurus*, cf. ad II. 1, 67.— *prior illa*, i. e. laurus triumphi Illyrici.

V. 92. *non bene pacatis*, cf. ad II. 7, 2.

V. 93. *deus est in pectore nostro*, cf. Ov. Fast. VI. 5: «Est deus in nobis, agitante calescimus illo».

V. 97—98. *Perfida . . . Germania*, alludit ad fraudem ducum Germanorum, qua Quintilius Varus deceptus et in saltu Teutoburgiensi an. 9. p. Chr. n. devictus est. — *Germania proicit hastas*, i. e. se dedit Romanis. — *omen*, vaticinium.

V. 100. *Filius*, Tiberius. — *iunctis . . . equis*, in curru triumphali.

V. 101—102. *ostrum*, togam pictam (purpuream) triumphantis. — *corona*, sc. laurea.

V. 103—104. *Scuta, sed et galeæ*, sc. in tropæis; cf. supra II. 1, 40—41. — *trunca tropæa*, quia tropæum erat arbor decisis ex parte ramis truncata, in qua pendebant arma hostibus adempta.

V. 105—106. *Oppida . . . eburnea*, i. e. simulacra oppidorum captorum ex ebore facta, in triumpho portanda: cf. supra III. 1, 37. — *Fictaque res*, i. e. pugna in imagine repræsentata: cf. II. 1, 38.

V. 107—108. *Squalidus immissos fracta sub harundine crines Rhenus . . . portet*, i. e. in imagine conspiciatur deus Rheni in harundine fluminis latens: cf. Trist. IV. 2, 41: «cornibus hic fractis, viridi male tectus in ulva, Decolor ipse suo sanguine Rhenus erat». — *Squalidus immissos crines . . . portet*, tanquam lugens; lugentes enim solebant capillos solvere; cf. Trist. I. 3, 90: «Squalidus immissis hirta per ora comis». — *Squalidus*, horridus; barba capillisque horridis. — *fracta sub harundine*, harundo fracta imminutam Rheni potestatem significat. — *portet aquas*, dii

fluviorum sæpe conspiciuntur in picturis antiquis urnam inversam, unde aqua effluit, manu tenentes.

V. 109—110. *insignia*, ornamenta. — *reges*, captivi reges Germanorum, ut ante currum triumphantis barbaro more ornati eant. — *textaque*, vestes magnificas. — *fortuna ditiora*, quæ non conveniunt fortunæ eorum afflictæ.

V. 114. *fide*, eventu.

Lib. III. epist. 5.

Ad Cottam Maximum.

Ad eundem supra I. 5., ubi cf. adn.

V. 2. *cæruleis . . . aquis*, mari Euxino.

V. 4. *Læsus ab ingenio Naso poeta suo*, cf. ad Trist. I. 1, 56.

V. 5. *ab hirsutis . . . Getis*, cf. Trist. III. 7, 38. (de Getis Tomos incolentibus): «Non coma, non ulla barba resecta manu».

V. 7—8. *patrii non degener oris*, cf. ad. II. 2, 51. — *oris*, eloquentiæ. — *Dicta tibi pleno verba diserta foro*. Cotta Maximus misit Ovidio orationem quandam suam ad iudices.

V. 24. *De centum iudex . . . viris*, cf. ad Trist. II. 94.

V. 37. *studiorum plene meorum*, quia Cotta etiam poeta fuit; cf. ad I. 5, 57—58. — *ab his ipsis*, sc. a studiis poeticis.

V. 56. *A Styge*, ab inferis; cf. supra II. 3, 49: «A Stygia quantum sors mea distat aqua?»

Lib. III. epist. 6.

Ad amicum innominatum.

V. 10. *meriti*, culpæ.

V. 16. *Augustos . . . deos*, Cæsares. — *invidiosa*, odiosa.

V. 20. *Leucothea*, sive Ino; dea, quæ Ulixi naufrago redimiculum dedit pectori subligandum, ut eius ope ad insulam Phæacum natare posset; cf. Hom. Od. V. 333. sqq.

V. 25—28. *eam*, sc. deam Iustitiam. — *facto de marmore templo . . . posuit*, cf. ad II. 1, 33. — *mentis in æde suæ*, cf. ad II. 1, 34.

V. 29. *deus æquoris*, Neptunus.

V. 33. *in nos*, i. e. quos Cæsar pœna aliqua affecit.

V. 35. *Marte*, bello.

V. 37. *multos*, sc. exules.

V. 41—42. *Busiride*, cf. ad Trist. III. 11, 39. — *solito clausos urere in œre viros*, Phalaris; cf. ad Trist. III. 11, 40.

V. 45. *primo scripsi sine nomine vobis*, quod fecit in libris Tristium, ubi amicos nusquam nominat; cf. ad Trist. III. 4, 65.

V. 50. *titulo*, inscriptione.

V. 52. *in chartis*, epistulis. — *nomina cara*, sc. tua.

V. 58. *munus . . . meum*, carmen ad amicos missum.

Lib. III. epist. 7.

Ad amicos.

V. 6. *a vinclis*, linis, quibus epistula vincta erat.

V. 11—12. *gravis*, molestus. — *experiensque*, audax.

V. 13. *Hoc quoque, Naso, feres: et enim peiora tulisti*, cf. Hom. Od. XX. 18. et V. 229: *τέτλαθι δή, κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ᾽ ἔτλης* et Trist. V. 11, 7: «Perfer et obdura! multo graviora tulisti».

V. 19—20. *in Geticos fines*, cf. ad Trist. III. 3, 6. — *Parcaque . . . mea*, sors mea. — *cœpit*, sc. ire.

V. 24. *vera . . . fide*, certa persuasione.

V. 29—30. *Scythicis*, cf. ad Trist. III. 4, 46. — *terra prosperiore frui*, cf. ad I. 1, 79.

V. 33. *repetitaque forma locorum*, i. e. repetita descriptio regionis infelicis Tomorum in carminibus meis.

V. 38. *qui dare vellet, erat*, sc. Augustus, princeps clementissimus.

V. 40. *Euxinis . . . aquis*, in litore Ponti Euxini.

Lib. III. epist. 8.

Ad Fabium Maximum.

Ad eundem supra I. 2., ubi cf. adn.

V. 2. *Tomitanus*, cf. ad Trist. I. 2, 85.

V. 6. *Hostis ab agricola vix sinit illa fodi*, cf. supra ad I. 8, 39—62.

V. 7—8. *Purpura saepe tuos fulgens praetexit amictus*, alludit ad togam purpura praetextam consulis. Fabius Maximus consul fuit an. 11. a. Chr. n. — *non Sarmatico tingitur illa mari*, i. e. in mari Euxino non sunt murices. — *Sarmatico . . . mari*, Pontus Euxinus, cuius litora septentrionalia Sarmatae incolebant.

V. 9—10. *Palladis . . . arte*, lanificio.

V. 11—12. *Femina pro lana Cerealia munera frangit*, sc. mola; quod apud Romanos servi faciebant. — *Cerealia munera*, frumentum. — *Suppositoque gravem vertice portat aquam*, i. e. in capite portat urnam aquæ gravem, quod nunc quoque faciunt feminæ rusticæ.

V. 13—14. *Non hic pampineis amicitur vitibus ulmus*, cf. Trist. III. 10, 71—73. et adn. ad h. l. — *amicitur vitibus ulmus*, cf. Trist. II. 143 et adn. ad h. l. — *Nulla . . . poma*, cf. ad Trist. III. 10, 73.

V. 15. *Tristia deformes pariunt absinthia campi*, cf. ad Trist. V. 13, 21—22. — *Tristia*, *amara*.

V. 17. *Ponti . . . sinistri*, cf. ad Trist. I. 2, 83.

V. 19. *Scythica*, cf. ad Trist. III. 4, 46.

V. 21—22. *calamos*, i. e. non calamos scriptorios, sed sagittas ex calamo factas. — *libellos*, nam pharetra similis est involucro illi membranaceo, quo volumina papyracea antiquorum tegebantur; cf. ad Trist. I. 1, 5. — *Musa*, ars. — *consule missa boni*, i. e. accipe hæc dona libenter.

Lib. III. epist. 9.

Ad Brutum.

Ad eundem supra I. 1, ubi cf. adn.

V. 3. *terra fruar ut propiore*, cf. ad I. 1, 79.

V. 9—10. *Agrius*, pater Thersitis. — *Thersites*, turpissimus Græcorum Troiam oppugnantium; cf. Hom. Il. II. 216: *αἴσχιστος δὲ ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθεν.*

V. 21—22. *calor*, cf. ad II. 5, 68. — *quasso . . . pectore*, sacro

quodam furore permoto: cf. Lucret. I. 912: «sed acri Percussit thyrso laudis spes magna meum cor». — *ferret opus*, dicitur de labore celeri.

V. 24. *Aristarcho*, Aristarchus, grammaticus et criticus antiquorum celeberrimus, editor Homeri, floruit ann. 180—150. a. Chr. n.

V. 25.-26 *Sic*, adeo, tantopere. — *frigore*, opponitur *calori* supra (vs. 21.) commemorato. — *Et cupidi in cursu frena retentat equi*, impetus ille sacer (cf. infra IV. 2, 25.) poetarum comparatur cum equo admisso. — *cupidi*, celeriter currere cupientis; cf. Lucret. II. 265: «Carceribus non posse tamen prorumpere equorum Vim *cupidam* tam de subito, quam mens avet ipsa».

V. 28. *pacata . . . humo* cf. supra ad I. 1, 79.

V. 32. *Getis*, cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 33. *loco moriar commodiore*, cf. supra ad I. 1, 79.

V. 40. *dissimulata*, neglecta ab amicis.

V. 41. *isdem*, sc. amicis.

AD LIBRUM QUARTUM.

Lib. IV. epist. 1.

Ad Sextum Pompeium.

Sextus Pompeius, e gente nobilissima Pompei Magni (cf. Senec. De benef. IV. 30.), fautor Ovidii, Cæsari Germanico gratissimus (cf. infra IV. 5, 25—26.), fuit consul an. 14. p. Chr. n. (cf. Sueton. Octav. 100.), postea proconsul Asiæ. Mores mansuetos proconsulis laudat Val. Max. II. 6. 8: «vir ille ut omnibus virtutibus, ita humanitatis quoque laudibus instructissimus». Ad eundem infra IV. 4. et 5. et 15.

Quartum Epistularum librum scripsit Ovidius post tres primos libros Romam missos ann. 13—16. p. Chr. n.

V. 1—2. *deductum carmen*, cf. ad Trist. I. 1, 39. — *Debitor est vitæ . . . suæ*, cf. infra ad IV. 5, 33—36.

V. 5. *trahis vultus*, i. e. irasceris.

V. 12. *in ceras*, in tabulas ceratas epistularum.

V. 17. *Lethen*, cf. ad II. 4, 23.

V. 25. *subitis . . . fatis*, calamitate poetæ, exilio.

V. 29—30. *Venus . . . Aequoreo madidas quæ premit imbre comas*, cf. ad Trist. II. 527—528. — *artificis . . . Coi*, Apelles, quem Coum nominat etiam Plin. N. H. XXXV. 79. Secundum Suidam (s. v.) Colophonius, secundum Strab. XIV. 642 a. Ephesius erat. Pictura eius hic commemorata primum in æde Aesculapii Coa erat collocata. — *premit*, exprimit comas, ut siccæ fiant: cf. Trist. II. 527: «madidos siccat digitis Venus uda capillos». — *imbre*, aqua.

V. 31—32. *Arcis ut Actææ vel eburna vel ærea custos*, agitur de duabus statuis Palladis a Phidia factis: altera ex ebore et auro in Parthenone, Palladis templo, altera ex aere sub divo in Acropoli, quæ dicebatur *Ἀθήνη πρόμαχος*. — *Actææ*, Atticæ; Acte, vetus nomen Atticæ. — *Bellica . . . dea*, Pallas; utraque enim statua Palladem hasta et scuto instructam repraesentabat.

V. 33—34. *Calamis*, Phidiæ æqualis, sculptor celeberrimus, de quo Plin. N. H. XXXIV. 76: «equis semper sine æmulo expressis». Cf. Propert. III. 9, 10: «Exactis Calamis se mihi iactat equis». — *vacca Myronis opus*, Myron sculptor, Phidiæ æqualis, cuius opus celeberrimum erat vacca ex ære; cf. Plin. N. H. XXXIV. 57: «Myronem . . . bucula maxime nobilitavit celebratis versibus laudata»; Propert. II. 31, 7: «armenta Myronis . . . artifices, vivida signa, boves».

Lib. IV. epist. 2.

Ad Cornelium Severum.

Cornelius Severus erat poeta epicus, qui scripsit Res Romanas teste Prob. Gramm. lat. 4. p. 208, 16. Scripsit etiam de bello Siculo Octaviani et Sexti Pompei teste Quintil. X. 1, 89. Non est confundendus cum Severo illo, ad quem scripta est supra I. 8., ubi cf. adn.

V. 1—2. *vates magnorum maxime regum*, de eodem poeta infra IV. 16, 9: «Quique dedit Latio carmen regale Severus». Scripsisse videtur de regibus Romanis. — *intonsis . . . Getis*, cf. ad Trist. III. 7, 18.

V. 5—6. *Orba tamen numeris . . . epistula*, prosa oratione scripta. — *per alternas . . . vices*, i. e. Severus et Ovidius sibi invicem litteras mittebant.

V. 7. *memorem testantia curam*, eadem verba supra III. 8, 1.

V. 9—10. *Aristæo*, Aristæus, filius Apollinis et Cyrenes, inventor mellificii; cf. Verg. Ge. IV. 317. sqq. — *Baccho . . . Falerno*, qui tamquam domi est in agro Falerno (in Campania), ubi vinum crescebat optimum: cf. Tibull. I. 9, 34: «Bacchi cura Falernus ager». — *Triptolemo*, cf. ad Trist. III. 8, 1—2. — *Alcinoo*,

pomaria Alcinoi, regis Phæacum, celebrantur Hom. Od. VII. 112. sqq.

V. 11. *Helicona*, cf. ad Trist. IV. 1, 50.

V. 13. *frondes . . . addere silvis*, proverbialis locutio de labore supervacuo: cf. ad I. 5, 22: «frondes Alpibus addat Athos».

V. 10. *litus aro*, proverbialis locutio de labore irrito: cf. ad Trist. V. 4, 48.

V. 17. *venas*, rivos. — *excæcat*, obturat.

V. 21—22. *in hac ipsum terra posuisset Homerum*, cf. Trist. I. 1, 47: «Da mihi Mæoniden et tot circumice casus. Ingenium tantis excidet omne malis». — *Getes*, i. e. barbarus.

V. 23. *studiis*, sc. poeticis. — *remisi*, tamquam laxavi.

V. 27. *ad partes*, sc. ad partes suas agendas, ad munus obeundum. — *tabellæ*, sc. ceratæ.

V. 30. *numeris*, versibus.

V. 32. *Principium nostri . . . mali*, alludit ad Artem Amatoriam, qua Augusti iram primum in se vertit.

V. 33. *numerosos ponere gressus*, saltare.

V. 37. *Corallis*, gens in Mœsia inferiore, ad mare Euxinum.

V. 41. *nec vinum*, cf. supra I. 5, 45: «Nec iuvat in lucem nimio marcescere vino». — *alea fallax*, cf. supra I. 5, 46: «Nec tenet incertas alea blanda manus».

V. 43. *si per fera bella liceret*, cf. supra I. 8, 41—62.

V. 45—46. *Pierides*, Musæ; cf. ad Trist. III. 2, 3—4. — *Non bene de nobis quæ meruere deæ* cf. supra ad vs. 32.

V. 47. *Aonius fons*, fons Musarum, Hippocrene, in Bœotia sub monte Helicone. — *Aonius*, Aonia, vetus nomen Bœotiæ.

V. 49. *Sacraque Musarum*, cf. ad II. 9, 64.

Lib. IV. epist. 3.

Ad amicum infidelem.

Amicus hic infidelis Ovidii quis fuerit ignoramus. Alius est inimicus ille, ad quem scriptæ sunt Trist. III. 11. IV. 9. V. 8. et *Ibis*.

V. 7. *contraxit vultum Fortuna*, cf. ad IV. 1, 5.

V. 26. *charta,* epistula.

V. 27—28. *iacenti, afflicto;* cf. ad II. 9, 4. — *verbis,* sc. maledicis.

V. 29. *si fortuna recedat,* sc. a te.

V. 31. *dea,* sc. Fortuna. — *non stabili . . . orbe,* cf. ad Trist. V. 8, 7—8.

V. 37—38. *Crœsi,* regis Lydiæ divitiis clari. — *ab hoste,* a Cyro, rege Persarum.

V. 39. *Syracosia . . . formidatus in urbe,* Dionysius II., Syracusarum tyrannus, a Timoleonte an. 343. a. Chr. n. pulsus, Corinthi ludimagister factus est. — *humili . . . arte,* ludimagisterio.

V. 41—42. *Magni,* Pompei Magni. — *clientis opem,* Pompeius a Cæsare ad Pharsalum devictus in Aegyptum confugit auxilium imploraturus regis Ptolemæi XII., cuius patrem, Ptolemæum Auleten, olim in regnum Aegypti reduxerat.

V. 43—44. *Cuique viro totus terrarum paruit orbis,* etiam hic versus ad Pompeium referendus esse videtur. — *Indignus effectus omnibus ipse magis,* versus spurius, quem deteriores codices habent; in bonis codicibus vs. 44. desideratur. Hic erat probabiliter commemorata misera mors Pompei, qui in litus Alexandriæ egressurus occisus est a percussoribus Aegyptiis.

V. 45—46. *Ille Iugurthino clarus Cimbroque triumpho,* Marius, qui devicit Iugurtham, Numidiæ regem, Cimbros Teutonesque, gentes ferocissimas Italiæ imminentes. — *Quo victrix totiens consule,* Marius septies consul fuit.

V. 47. *In cæno Marius iacuit,* Marius a Sulla ex urbe pulsus et persecutores fugiens in paludibus Minturnensibus se abdere coactus est. — *Pertulit et tanto multa pudenda viro,* cf. Vell. Pater. II. 19: «Marius post sextum consulatum annumque septuagesimum nudus ac limo obrutus, oculis tantummodo ac naribus eminentibus, extractus arundineto circa paludem Maricæ, in quam se fugiens consectantes Sullæ equites abdiderat, iniecto in collum loro in carcerem Minturnensium iussu duumviri perductus est. Ad quem interficiendum missus cum gladio servus publicus natione Germanus, qui forte ab imperatore eo bello Cimbrico captus erat, ut agnovit Marium, magno eiulatu expromente indignationem casus tanti viri, abiecto gladio profugit e carcere. Tum cives,

ab hoste misereri paulo ante principis viri docti, instructum cum viatico conlataque veste in navem imposuerunt, at ille . . . in Africam direxit inopemque vitam in tugurio ruinarum Carthaginiensium toleravit».

V. 52. *Getæ*, cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 53—54. *purgantes pectora sucos*, insaniæ medicamentum. — *pectora*, mentem. — *in tota . . . Anticyra*, urbs Phocidis, in cuius regione nascebatur elleborum, insaniæ medicamentum; cf. Hor. Sat. II. 3. 83: «Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem».

V. 56. *dei*, Augusti.

V. 58. *Dum loqueris*, cf. Hor. Carm. I. 11. 7: «Dum loquimur, fugerit invida Aetas».

Lib. IV. epist. 4.

Ad Sextum Pompeium.

Ad eundem supra IV. 1., ubi cf. adn.

V. 1. *australibus*, a meridie venientibus.

V. 8. *Getici litoris*, litoris maris Euxini; cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 9. *vultum diffundere*, rugas frontis explicare, lætitiæ signum.

V. 11. *cum fulva spatiarer solus harena*, in litore harenoso Ponti Euxini.

V. 16. *Fama*, dea alata.

V. 17—18. *Consule Pompeio . . . annus erit*, scripta est hæc epistula sub finem an. 13. p. Chr. n., cum Pompeius consul designatus esset; consulatum gessit an. 14., quo Augustus mortuus est. — *Candidus et felix proximus annus erit*, cf. Tibull. II. 5. 82: «Omine quo felix et sacer annus erit». — *Candidus*, beatus, lætus.

V. 23—24. *Iane biceps*, mensis Ianuarius sacer erat Iano, deo duplicem faciem habenti. — *reseraveris annum*, sc. Kalendis Ianuariis. — *reseraveris*, cf. Macrob. I. 9. 7: «Ianus . . . cum clavi et virga figuratur». — *a sacro mense*, Ianuarius Iano sacratus.

V. 25—26. *Purpura . . . summi . . . honoris*, toga purpura prætexta consulis. — *titulis . . . suis*, maioribus; in atriis enim nobilium erant imagines maiorum, sub quibus inscriptio *(titulus)* indicabat honores ab iis gestos.

V. 27. *atria*, sc. Pompei. — *turba*, sc. salutantium.

V. 19. *Templaque Tarpeiæ primum tibi sedis adiri*, novus consul Kalendis Ianuariis in Capitolio sacrificavit Iovi. — *Tarpeiæ . . . sedis*, Capitolii; cf. ad II. 1, 57.

V. 31—32. *boves niveos*, Iovi immolabantur tauri albi. — *herba Falisca*, ager Faliscorum, urbis Etruscæ, pascuis clarus; cf. Ov. Fast. I. 84: «Quos aluit cámpis herba Falisca suis».

V. 34. *Cæsar*, Augustus.

V. 35. *patresque*, senatores.

V. 37. *facundo . . . ore*, de eloquentia Sexti Pompei cf. Val. Max. IV. 4. 11: «facundissimo sermone, qui ore eius quasi e beato quodam eloquentiæ fonte manabat» et ibid. IV. 7, 2: «clarissimi ac disertissimi viri».

V. 38. *prospera verba*, verba senatorum novo consuli gratulantium felicitatemque optantium: cf. Ov. Fast. I. 175. (de Kalendis Ianuariis): «At cur læta tuis dicuntur verba Kalendis Et damus alternas accipimusque preces?»

Lib. IV. epist. 5.

Ad Sextum Pompeium.

Ad eundem supra IV. 1., ubi cf. adn.

V. 1. *leves elegi*, levitas elegiarum, quarum propria materia est amor, opponitur gravitati carminum epicorum. — *doctas ad . . . aures*, erat enim Pompeius orator bonus; cf. supra ad IV. 4. 37. — *consulis*, Sextus Pompeius consul fuit an. 14. p. Chr. n.

V. 3—4 *nec vos pedibus proceditis æquis*, quia in disticho elegiaco hexameter longior est pentametro: cf. Ov. Am. III. 1. 8. (de Elegia personificata): «pes illi longior alter erat». — *brumali sub nive*, Ovidius hanc elegiam mense Ianuario aut Februario an. 14. p. Chr. n. scripsisse videtur.

V. 5—6. *Hæmus*, montes, qui Mœsiam a Thracia separant, nunc *Balkan*. — *Et maris Ionii transieritis aquas*, supple: et Brundisium (in Calabria) appuleritis.

V. 7. *Luce minus decima*, Brundisio Romam iter erat novem fere dierum. — *dominam*, sc. orbis terrarum, Romam.

V. 10. *Augusto . . . foro*, novum forum ab Augusto conditum iuxta forum Romanum. — *iunctior*, propior, vicinior.

V. 11—12. *ut in populo*, cf. ad Trist. I. 1, 17. — *Nomina decepta quodlibet aure ferat*, i. e. nolite ei meum nomen dicere, sed dicite quodlibet aliud nomen.

V. 18. *Conspicuum signis*, ornatum sculpturis. — *ebur*, sella curulis ebore ornata.

V. 19. *populi reditus positam componet ad hastam*, alludit ad auctiones (locationes vectigalium) publicas. — *positam . . . ad hastam*, defixa hasta erat apud Romanos auctionis signum, quia antiquissimis temporibus præda bellica plerumque publice venundabatur. Cf. Paul. Fest. s. v. *Hastæ*: «hastæ subiciebant ea, quæ publice venundabant».

V. 21. *patres*, senatores. — *Iulia templa*, curia Iulia a Iulio Cæsare erecta et ab Octaviano an. a. Chr. n. 29. consecrata, ubi senatus habebatur.

V. 23. *natoque*, Tiberio, filio Augusti adoptivo.

V. 27. *a magnis . . . deis*, post magnos deos, i. e. post Augustum et Tiberium.

V. 32. *Quam prius a miti Cæsare munus habet*, cf. ad Trist. I. 1. 20.

V. 34. *Barbariæ tutas exhibuisse vias*, Pompeius eo tempore, quo Ovidius (an. 9. p. Chr. n.) per Thraciam barbaram Tomos profectus est, exercitui in Thracia præfuisse poetamque, ne a latronibus terram illam infestantibus occideretur, militari comitatu sæpsisse videtur.

V. 35. *Bistonium . . . ensem*, Thracium; cf. ad Trist. I. 10, 23—24; I. 1, 43—44. et IV. 1, 21.

V. 40. *mancipii . . . tui*, i. e. rem mancipii tui, tamquam tuam possessionem; cf. infra ad IV. 15, 42.

V. 45. *servet sua dona*, i. e. vitam Ovidii, quam poeta ei debet; cf. supra vs. 31—32. Rogat igitur Pompeium, ut sibi etiam posthac auxilium ferat; cf. supra IV. 1, 25—26. de eodem Pompeio: «Nunc quoque nil subitis clementia territa fatis Auxilium vitæ fertque feretque meæ».

Lib. IV. eleg. 6.

Ad Brutum.

Ad eundem supra I. 1., ubi cf. adn.

V. 1. *Scythia,* cf. ad Trist. III. 4, 46. — *quinquennis Olympias acta est: Iam tempus lustri transit in alterius,* i. e. quinque anni iam praeterierunt. Scripsit Ovidius hanc epistulam post nuntium de morte Augusti (cf. infra vs. 15—16.) Tomos allatum. Augustus autem mortuus est mense Augusto an. 14. Ceterum poeta etiam hoc loco Olympiada Graecorum cum lustro Romano confundit; cf. ad Trist. IV. 10, 95—96.

V. 7—8. *votis . . . opponit . . . pedem,* tamquam supplantat vota mea; imago a luctantibus ducta.

V. 9—16. Hunc locum interpretatione instruxi in commentario Tristium p. 134—136., quod vide.

V. 15. *deceptæ . . . culpæ,* i. e. errori; cf. ad Trist. I. 2, 99.

V. 17—18. *de cælite . . . recenti . . . carmen,* scripsit igitur Ovidius epicedium in mortem Augusti idque Romam misit. — *de cælite . . . recenti,* de Augusto, qui post mortem consecratus Divi nomen accepit. — *Vestra . . . in ora,* i. e. ut vos id legatis.

V. 28. *sacræ,* Cæsareæ.

V. 21. *liquido . . . iurare,* cf. supra ad III. 3, 49.

V. 29—30. *Marte forensi,* causis in foro agendis, forensi eloquentia. — *peragi . . . reos,* referendum ad Bruti orationes accusatorias.

V. 35. *in armis,* sc. eloquentiæ.

V. 37—38. *limantur,* expoliuntur; cf. ad I. 5, 19. — *Istius . . . corporis,* mortalis corporis, mortalis hominis; cf. Senec. Epist. 65, 22: «In hoc obnoxio domicilio animus liber habitat. Nunquam me *caro ista* compellet ad metum, nunquam ad indignam bono simulationem, nunquam in honorem *huius corpusculi* mentiar».

V. 45—46. *conterminus,* vicinus. — *In caput,* in fontem.

V. 47—48. *Thyesteae . . . mensæ,* cf. ad Trist. II. 391. — *ad eoas . . . aquas,* ad orientem, ad Oceanum orientalem; cf. ad II. 5, 50.

V. 49. *abreptum,* tamquam morte abreptum; cf. ad Trist. I. 1, 27.

Lib. IV. epist. 7.

Ad Vestalem.

Vestalis filius fuisse videtur M. Iulii Cottii, reguli Alpium Cottiarum, nepos Donni: cf. infra vs. 6. et 29. et inscriptionem arcus triumphalis a M. Iulio Cottio in Augusti honorem Segusione (nunc *Susa*) erecti Corp. Inscr. Lat. V. 7231: «M. Iulius regis Donni filius Cottius».

V. 1. *Ut positis reddas iura sub axe locis,* Vestalis igitur magistratum quendam in Mœsia gessisse videtur. Fuit fortasse adsessor legati. — *sub axe,* sub polo septentrionali cæli.

V. 3. *iaceamus,* cf. ad II. 9, 4.

V. 6. *Alpinis iuvenis regibus orte,* i. e. filius Cottii, nepos Donni, qui fuerunt reguli Alpium Cottiarum.

V. 7—8. *Pontum,* sc. Euxinum. — *rigido stantia vina gelu,* cf. Trist. III. 20, 23: «Nudaque consistunt formam servantia testæ Vina nec hausta meri, sed data frusta bibunt». — *stantia,* concreta.

V. 9—10. *onerata ferox ut ducat Iazyx Per medias Histri plaustra bubulcus aquas,* cf. Trist. III. 10, 33: «Perque novos pontes (i. e. per glaciem) subter labentibus undis Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves». — *Iazyx,* cf. I. 2, 79.

V. 11—12. *mitti sub adunco toxica ferro,* i. e. sagittas venenatas; cf. ad Trist. III. 10, 64. et V. 7, 16. — *sub adunco . . . ferro,* sub sagittis. — *Et telum causas mortis habere duas,* cf. supra I. 2, 17: «Qui mortis sævo geminent ut vulnere causas, Omnia vipereo spicula felle linunt».

V. 13—14. *pars hæc,* sc. hæc pars orbis terrarum. — *Marte,* pugna.

V. 15—16. *Tendisti ad primum per densa pericula pilum,* i. e. fortiter pugnando petiisti centurionatum primipilarem: centuriones enim primi pili (i. e. manipuli) triariorum inter centuriones legionis principem obtinebant locum. — *pilum,* manipulum. — *honor,* sc. centurionatus primipilaris.

V. 17—18. *titulus,* gloria; cf. ad. Trist. I. 1, 53. — *plenis . . . fructibus,* Vestalis enim fortibus factis, quibus centurionatum primi-

pilarem meruit, debuisse videtur, quod postea maiores adeptus est honores. — *ordine*, sc. centurionis. — *erit*, scribendum potius: *erat*.

V. 20. *Getico*, cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 21—22. *Aegisos . . . recepta*, eadem res narratur supra I. 8. 11—20., ubi cf. adn. — *subeunte*, sc. muros urbis, in muros impetum faciente; cf. infra vs. 34. — *ingenio*, natura.

V. 23. *dubium*, *positu melius defensa manune*, cf. supra I. 8, 11. de Aegiso: «urbs . . . Mœnibus et positu vix adeunda loci». — *manune*, i. e. mœnibus humana manu erectis.

V. 25—26. *Sithonio regi ferus interceperat illam Hostis*, cf. supra I. 8. 15. de Aegiso: «Hanc ferus Odrysiis inopino Marte peremptis Cepit et in regem sustulit arma Getes». — *Sithonio regi*, regi Thraciæ, socio populi Romani, cui commissa fuisse videtur custodia finium Mœsiæ inferioris. Hic rex autem erat Cotys, ad quem scripta est supra II. 9. ubi cf. adn. — *Sithonio*, Thracio; Sithonii enim erant populus in Chalcidice Thracia.

V. 27—28. *fluminea . . . unda*, Danuvio, Aegisos enim sita erat ad ripam Histri sive Danuvii: cf. supra I. 8. 11. — *Vitellius*, dux exercitus Romani, in quo Vestalis meruit. — *exposito milite*, sc. in ripa Danuvii.

V. 29. *progenies . . . Donni*, regis Alpium Cottiarum: cf. supra adn.

V. 33—34. *locumque*, sc. arduum; cf. supra vs. 21—22. — *Saxaque*, quæ de muris urbis deiciebantur in oppugnantes.

V. 36. *vipereo tela cruore*, cf. ad Trist. III. 10, 64 et V. 7, 16. — *cruore*, veneno.

V. 37—58. *Spicula*, sagittæ. — *vulnere*, intellegendum de scuto telis perforato.

V. 41. *Danais pro navibus Aiax*, Aiax Telamonius, qui Hectorem fortissime pugnans reppulit, ne naves Græcorum incenderet; cf. Hom. Il. XIII. 125. sqq. — *Danais*, Græcis.

V. 45—46. *Mars*, pugna. — *Quotque neci dederis quosque quibusque modis*, cf. Tibull. II. 6. 52: «Quisve meam teneat quot teneatve modis» et Ov. Am. II. 8. 27—28: «Quoque loco tecum fuerim quotiensque, Cypassi, Narrabo dominæ, quotque quibusque modis».

V. 49. *primi . . . pili*, primi manipuli, quem duxit Vestalis. — *minor ordine*, i. e. ceteri manipuli ordine minores.

V. 52. *Pegasus*, equus alatus.

V. 53. *testataque*, sensu passivo.

Lib. IV. epist. 8.

Ad Suillium.

P. Suillius, gener tertiæ Ovidii uxoris, erat quæstor Cæsaris Germanici an. 14—16. p. Chr. n. in Germania bellum gerentis (cf. Tac. Ann. IV. 31.)

V. 3. *superos*, Cæsares.

V. 11. *Nam tibi quæ coniunx, eadem mihi filia pæne*, tertia Ovidii uxor habuit filiam ex matrimonio priore, quæ nupsit Suillio; cf. ad Trist. I. 3, 97.

V. 13—14. *vultum . . . ducis*, sive trahis; cf. ad IV. 1, 5.

V. 15. *hic*, sc. in me.

V. 17. *equites ab origine prima*, cf. ad Trist. IV. 10, 7—8.

V. 20. *Errorem*, cf. ad Trist. I. 2, 99.

V. 22. *deos*, Cæsares.

V. 23. *Cæsar iuvenis*, Cæsar Germanicus (cf. ad II. 1.), cuius quæstor erat Suillius in Germania.

V. 27. *ea*, sc. ea ara, is deus; supple ex vs. 24.

V. 31—32. *Nec tibi de Pario statuam . . . templum Marmore*, cf. Verg. Ge. III. 13: «templum de marmore ponam». — *Pario*, Paros, insula maris Aegæi, marmore suo clara. — *ruina*, exilium; cf. ad Trist. II. 83—86.

V. 33. *domus*, gentes, familiæ. — *beatæ*, divites.

V. 39—40. *quæ de parva pauper dis libat acerra Tura*, cf. ad Trist. II. 75—76. — *grandi quam data lance*, agitur de lance in sacrificiis usitata, quæ *magna* vocatur, quia homines divites solebant magnis lancibus uti; cf. Pers. Sat. II. 71: «Quin damus id superis, de magna quod dare lance Non possit magni Messallæ lippa propago?»

V. 41—42. *gramine pasta Falisco Victima*, taurus ex agro Faleriorum; cf. ad IV. 4, 32. — *Tarpeios . . . focos*, aram Iovis Capitolini; cf. ad II. 1, 57.

V. 51. *ferunt*, tolerant. — *scriptis Agamemnona nosti*, sc. ex Iliade Homeri; cf. Hor. Carm. IV. 9, 25: «Vixere fortes ante Agamemnona Multi, sed omnes inlacrimabiles Urgentur ignotique longa Nocte, carent quia vate sacro».

V. 53. *Thebas septemque duces*, septem duces Thebas oppugnantes, argumentum carminum epicorum, quæ vocabantur *Thebaides*.

V. 57—58. *Chaos*, unde initium capiunt Theogonia Hesiodi et Metamorphoses Ovidii. — *ex illa naturæ mole prioris Digestum*, cf. Ov. Met. I. 5: «Ante mare et terras et, quod tegit omnia, cælum, Unus erat toto naturæ vultus in orbe, Quem dixere Chaos: rudis indigestaque moles». — *partes . . . habere suas*, i. e. ex Chao orta sunt cælum, terra, aqua et aër; cf. Ov. Met. I. 21. sqq.

V. 59—60. *adfectantes cælestia regna Gigantes*, bellum Gigantum contra deos, argumentum carminum epicorum, quæ *Gigantomachiæ* vocabantur. — *Ad Styga nimbifero vindicis igne datos*, Iuppiter Gigantes fulmine deiecit ad inferos.

V. 61—62. *Liber ab Indis*, cf. ad Trist. V. 3, 23—24. — *Alcides . . . ab Oechalia*, Hercules, Alcei nepos, cepit Oechaliam, Thessaliæ urbem rapuitque filiam Euryti regis, Iolen. Cf. ad Trist. II. 405—406.

V. 63—64. *avum*, Augustum. — *quem virtus addidit astris*, Augustus an. 14. p. Chr. n. mortuus interque deos relatus *Divi* nomen accepit. — *astris*, cælo, diis. — *Sacrarunt*, tamquam deum fecerunt. — *carmina*, poetæ, qui Augustum vivum tamquam præsentem deum celebrabant.

V. 67. *vates*, de Germanico poeta cf. adn. ad II. 1.

V. 70. *Pieridum*, Musarum; cf. ad Trist. III. 2, 3.

V. 71. *materiam nobis*, materiam carminum poetis.

V. 73. *bella geris*, Germanicus bellum gessit in Germania an. 14—16. p. Chr. n. — *numeris*, versibus.

V. 75—76. *nec ad citharam, nec ad arcum segnis*, Apollo, deus κιθαρῳδός et τοξότης. — *nervus uterque*, i. e. nervi (chordæ) lyræ et nervus arcus.

V. 77. *docti*, sc. poetæ.

V. 80. *Ungula Gorgonei quam cava fecit equi*, dicitur enim Pegasus errando ad Heliconem, montem Bœotiæ, pervenisse ibique siti oppressus ungula fodisse, ex quo loco fons editus sit Musis conse-

cratus, Hippocrene. — *Gorgonei . . . equi*, Pegasus, equus alatus, natus e sanguine Medusæ a Perseo occisæ; cf. Iuv. Sat. III. 118: «Ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi». — *Gorgonei*, Medusæi; cf. ad I. 2, 37.

V. 81. *communia sacra*, cf. ad II. 9, 64.

V. 83—84. *pellitis*, pelle indutis; cf. Trist. III. 10, 19. et V. 7. 49. — *subiecta*, vicina. — *Corallis*, cf. ad IV. 2, 37. — *Getas*, cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 86. *Qui minus Ausonia distet ab Urbe*, cf. ad I. 1, 79. — *Ausonia*, urbe Italica, i. e. Roma.

V. 87. *laudes . . . recentes*, i. e. ubi recentem famam audire possim factorum tuorum. Germanicus hoc tempore bellum gessit in Germania; cf. supra ad vs. 73.

V. 89—90. *cælestia . . . numina*, Cæsares.

Lib. IV. epist. 9.

Ad Græcinum.

Ad eundem supra I. 6., ubi cf. adn.

V. 2. *vadis*, aquis.

V. 3—4. *auroram*, diem. — *Bis senos fasces*, scripsit poeta hanc epistulam an. 16. p. Chr. n., quo Græcinus consul suffectus erat.

V. 5—6. *tanges Capitolia consul*. cf. ad IV. 4, 29. — *turbæ . . . tuae*, intellege turbam hominum novum consulem salutantium.

V. 8. *iusto . . . die*, quo die Græcinus consulatum adierit, nescimus; erat enim consul suffectus.

V. 10. *sincero*, incolumi.

V. 15—16. *luce*, die. — *Ut caperet fastus vix domus ulla meos*, i. e. poeta elatus superbia tectum vertice tangere sibi videtur.

V. 18. *Consulis ante pedes ire iuberer eques*, in pompa sollemni, qua novus consul a senatoribus cinctus in Capitolium deducitur, Ovidius, eques Romanus, ante consulem iret. — *eques*, cf. ad Trist. IV. 10, 7—8.

V. 26. *purpura*, toga picta (purpurea, purpura prætexta) consulis.

V. 27. *Signa*, sculpturas; cf. supra IV. 5, 18. — *Numidæ . . . dentis*, dentis elephantis Numidici sive Africi: i. e. eboris, quo sella curulis ornata erat: cf. Propert. II. 3, 12: «Libyci nobile dentis opus».

V. 29—30. *Tarpeias . . . in arces*, in templum Iovis Capitolini; cf. ad II. 1, 57. — *victima*, taurus; cf. IV. 4, 31—32.

V. 32. *deus*, Iuppiter Capitolinus.

V. 33. *lance*, cf. ad IV. 8, 39—40.

V. 36. *ius Urbis*, ius in Urbe manendi.

V. 43—44. *reddentem iura*, ius dicentem; cf. IV. 5, 17. — *secretis*, diversis, longinquis.

V. 46. *reditus hastæ supponere*, cf. ad IV. 5, 19. — *lustri*, nam vectigalia in quinque annos plerumque locabantur.

V. 49. *pro Cæsaribus*, pro salute Cæsarum.

V. 52. *principis*, Tiberii.

V. 53—54. *Surgat ad hanc vocem plena pius ignis ab ara*, flamma in ara surgens et splendide lucens bonum omen erat: cf. Tibull. IV. 1, 133: «additus aris Lætior eluxit structos super ignis acervos»; Verg. Ge. IV. 383: «Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam (i. e. focum), Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit»; Propert. III. 10, 19: «Inde coronatas ubi ture piaveris aras, Luxerit et toto flamma secunda domo». — *apex*, flamma.

V. 58. *Successor tanti frater honoris*, frater Græcini, Flaccus (cf. ad I. 10.), consul erat an. 17. p. Chr. n.

V. 59—60. *summo . . . Decembri*, ultima die Decembris. — *Iani . . . die*, Kalendis Ianuariis; cf. ad IV. 4, 23—24.

V. 65—66. *Martia . . . Roma*, cf. ad Trist. III. 7, 52.

V. 67. *gravitas auctoris*, Tiberii imperatoris, cui consulatum Græcinus et Flaccus debuerunt.

V. 70. *Augusti*, Tiberii imperatoris.

V. 73—74. *siquem dabit aura sinum*, si ventus secundus sinuabit vela. — *e Stygiis . . . aquis*, e regione Ponti Euxini; cf. III. 5, 56: «A Styge nec longe Pontica distat humus».

V. 75. *Præfuit his . . . locis modo Flaccus*, legatus in Mœsia fuisse videtur.

V. 77—78. *Mysas gentes*, populos Mœsiæ. Mysia proprio sensu est pars Asiæ Minoris ad Hellespontum, cuius incolæ olim in

Thracia habitabant; quare *Mysi* sive *Mœsi* vocabantur etiam illi, qui in Europa remanserunt; cf. Plin. N. H. V. 125. — *Getas*, cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 79—80. *Troesmin*, Trœsmis, urbs Mœsiæ inferioris ad Histrum, nunc *Iglitza* (non procul a *Galatz*). — *fero*, barbaro.

V. 81—82. *Scythicique*, cf. ad Trist. III. 11, 46. — *quam vicino terrear hoste*, cf. Tibull. I. 1, 3: «Quem labor assiduus vicino terreat hoste».

V. 83—84. *serpentis felle*, cf. ad Trist. III. 10, 64. et V. 7, 16. — *humanum victima dira caput*, cf. ad Trist. IV. 4, 63—64.

V. 93. *longe*, corruptum; scribendum fortasse *lenis*.

V. 97. *Tomitæ*, cf. ad Trist. I. 2, 85.

V. 102. *immunes*, i. e. Tomitæ immunitate vectigalium honorarunt poetam. — *publica cera*, decretum in tabulis ceratis descriptum.

V. 103—104. *miseris*, exulibus, relegatis. — *Proxima . . . oppida*, cetera oppida Mœsiæ inferioris.

V. 106. *sacrum Cæsaris*, sacellum Augusti post mortem consecrati, i. e. Divi.

V. 107—108. *natusque pius*, Tiberius imperator. — *coniunxque sacerdos*, Livia, uxor Augusti, quæ post mortem mariti sacerdos Divi Augusti facta est; cf. Dio Cass. XLVI. 46. — *facto . . . deo*, Augusto, qui iam deus factus est.

V. 109. *uterque nepotum*, Drusus minor, filius Tiberii, et Cæsar Germanicus, filius adoptivus eiusdem.

V. 112. *eoo . . . ab orbe*, a cælo orientali. — *dies*, sol.

V. 116. *dei*, Augusti.

V. 118. *longa Propontis*, per quam navigandum erat iis, qui e mari Aegæo Pontum Euxinum petebant.

V. 119—120. *quo lævus fuerat sub præside Pontus . . . frater*, Flaccus: cf. supra ad vs. 75. — *lævus . . . Pontus*, Mœsia inferior; cf. ad. Trist. I. 2, 83.

V. 125. *Cæsaris*, Tiberii imperatoris.

V. 127—128. *superis ascite . . . Cæsar*, Divus Augustus, diis additus.

V. 129—130. *convexa . . . Sidera*, intellege cælum convexum.

V. 131—132. *istuc*, in cælum. — *carmina* . . . *de* . . . *cælite* . . .*novo* cf. ad IV. 6, 17—18.

V. 134. *nomen* . . . *parentis*, cf. ad I. 1, 36.

Lib. IV. epist. 10.

Ad Albinovanum Pedonem.

Albinovanus Pedo poeta scripsit Theseidem, carmen epicum de Theseo (cf. infra vs. 71.), et epigrammata teste Martial. V. 5, 5.

V. 1—2. *Cimmerio* . . . *litore*, in litore Ponti Euxini. Cimmerii dicebantur proprie incolæ pæninsulæ illius, quæ, ab antiquis Chersonesus Taurica dicta, nunc *Krim* vocatur. — *bis tertia* . . .*æstas*, aestas an. 14. p. Chr. n. — *pellitos*, pellibus indutos; cf. Trist. III. 10, 19. et V. 7, 49.

V. 5. *Gutta cavat lapidem*, hæc verba in proverbium abierunt.

V. 9. *Exemplum est* . . . *Ulixes*, sortem suam cum sorte Ulixis comparat, ut Trist. I. 5, 57—84. — *animi nimium patientis*, quare ab Homero πολύτλας vocatur.

V. 13. *sex annis pulchram fovisse Calypso*, cf. Hom. Od. V. 1—281. — *Aeæaque* . . . *dea*, Circe in insula Aeæa; cf. Hom. Od. X. 133—399.

V. 15—16. *Excipit*, sc. hospitio. — *Hippotades*, Aeolus, rector ventorum, Hippotæ filius. — *dat pro munere ventos*, Ulixes ab Aeolo accepit ventos præter Zephyrum, Ithacam petenti secundum, utre conclusos; cf. Hom. Od. X. 1—27. — *sinus*, sc. velorum.

V. 17—18. *bene cantantis* . . . *puellas*, Sirenes, quarum cantum pulcherrimum Ulixes malo navis alligatus impune audire potuit; cf. Hom. Od. XII. 142—200. — *lotos*, cuius dulcissimum fructum qui degustarant, obliti sunt patriæ et suorum; cf. Hom. Od. IX. 83. sqq. et Ov. Trist. IV. 1, 31.

V. 21—22. *urbem Læstrygonis*, Lamum, urbem Antiphatis, regis Læstrygonum anthropophagorum; cf. Hom. Od. X. 81. sqq. — *obliqua*, sinuosa, curvata.

V. 23. *Cyclops*, Polyphemus anthropophagus; cf. Hom. Od. IX. 287. sqq. — *Phyacen*, hoc loco codicum scriptura incerta est; *Phyacen* habent deteriores, *Piacchen* Monacensis lat. 384, *Piæchen*

Monacensis lat. 19746. Ut comparatio cum Cyclope docet, agitur hoc loco de populo quodam Scythiæ anthropophago: cf. ad Trist. IV. 4, 61—62.

V. 25—26. *Scylla*, cf. ad III. 1, 122. — *Trunco . . . ab inguine*, quia Scylla habuit os pectusque virginis, sed corpus eius in caudam beluæ marinæ exiit. — *Heniochæ . . . rates*, Heniochorum naves; Heniochi erant populus in litore orientali Ponti Euxini, piraticam exercens.

V. 27—28. *Achais*, Achæi, populus Heniochis vicinus, piraticam exercens: cf. Vell. Pat. I. 40: «ad eas nationes, quæ dextra atque intima Ponti incolunt, Colchos Heniochosque et Achæos». — *Ter licet epotum ter vomat illa fretum*, de gurgite Charybdis cf. Verg. Aen. III. 421: «imo barathri ter gurgite vastos Sorbet in abruptum fluctus rursusque sub auras Erigit alternos».

V. 29. *dextra regione*, in litore orientali Ponti Euxini; cf. ad Trist. I. 2, 83.

V. 31. *agri infrondes*, cf. ad I. 2, 25. — *spicula tincta venenis*, cf. ad Trist. III. 10, 64. et V. 7, 16.

V. 38. *Sarmaticum . . . mare* Pontus Euxinus, cuius litora septentrionalia incolebant Sarmatæ.

V. 39—40. *plaustri prabentia formam . . . Sidera*, Ursa Maior, quæ etiam plaustrum vocatur, in parte septentrionali cæli fulgens. — *quae . . . sidera frigus habent*, cetera sidera cæli septentrionalis.

V. 42. *a propiore*, sc. vento.

V. 43—44. *adverso . . . ab axe*, a polo meridionali cæli. — *rarus languidiorque venit*, cf. ad II. 1, 2.

V. 45—46. *clauso . . . Ponto*, quia Pontus Euxinus undique clausus est præter angustum os Bospori Thracii. — *fretum*, mare.

V. 47—48. *Lycus*, fluvius Paphlagoniæ, qui ad Heracleam in Pontum influit, nunc *Turak*. — *Sagaris*, fluvius Phrygiæ et Bithyniæ, qui in Propontidem influit, nunc *Sakarja*. — *Penius*, fluvius Colchidis, in litore orientali Ponti. — *Hypanisque*, in Sarmatia Europæa, nunc *Bug*. — *Calesque*, fluvius Bithyniæ. — *Halys*, in Paphlagonia, nunc *Kisil-Irmak*.

V. 49—50. *Parthenius*, fluvius in Paphlagonia ad urbem Amastri

in Pontum influens. — *Cynapses*, nomen fluvii aliunde non noti. — *Tyras*, in Sarmatia, nunc *Dniestr*.

V. 51—52. *Thermodon*, fluvius in regno Ponti, cuius ad ripas habitabant olim Amazones; cf. ad III. 1, 95. — *Grais . . . viris*, Argonautis. — *Phasi*, Phasis, fluvius Colchidis, in litore orientali Ponti Euxini.

V. 53—54. *Borysthenio . . . amne*, Borysthenes in Sarmatia Europaea, nunc *Dniepr*. — *Dyrapses*, nomen ignotum et obscurum; fortasse corruptum. — *Melanthus*, fluvius Sarmatiæ.

V. 55—56. *Asiam Cadmique sororem Separat*, Tanais in Sarmatia, qui sententia antiquorum geographorum Asiam ab Europa separat, nunc *Don*. — *Cadmique sororem*, Europam, filiam Agenoris, regis Phœniciæ, sororem Cadmi, a qua nomen accepit ea pars orbis, quæ Europa vocatur.

V. 58. *Cedere Danuvius se tibi, Nile, negat*, cf. ad Trist. II. 189.

V. 66. *modis*, numeris, versibus.

V. 71—72. *Thesea carmine laudes*, scripsit enim Pedo Theseidem, carmen epicum de Theseo. — *titulos*, gloriam; cf. ad Trist. I. 1, 53.

V. 73—74. *Quemque refers*, de quo narras. — *imitere virum*, sc. in amicitia fideli; cf. ad Trist. I. 5, 19. — *Tranquilli*, felicis.

V. 76. *tanto . . . ore*, tam magnifico dicendi genere.

V. 80. *Per quos vix ulli pervius Isthmos erat*, cogitandum de Sini, Procruste et Scirone Atticam et Isthmum infestantibus, a Theseo occisis.

Lib. IV. epist. 11.

Ad Gallionem.

L. Iunius Gallio rhetor clarissimus huius temporis fuit, auctor declamationum, Senecæ maioris amicus; cf. Senec. Controv. II. 1, 33., VII. praef. 5.; X. praef. 8. Scripsit etiam rhetoricam teste Quintil. III. 1, 21.

V. 3—4. *cœlesti cuspide*, i. e. ab Augusto. — *vulnera nostra*, i. e. calamitatem, relegationem.

V. 12. *doctorum*, sc. philosophorum.

V. 16. *annus abit*, cf. supra III. 4, 59—60: «Dum venit huc

rumor properataque carmina fiunt Factaque eunt ad vos, annus abire potest.

V. 21. *omen*, vaticinium.

Lib. IV. epist. 12.

Ad Tuticanum.

Tuticanus, amicus Ovidii, poeta aliunde non notus scripsit Phæacidem; cf. infra vs. 27.

V. 5—6. *pedis*, metri. — *meos . . . modos*, i. e. disticha elegiaca. Nomen enim amici (Tūtĭcānus) ex duobus trochæis constat, quare in hexametro aut pentametro poni non potest.

V. 9—10. *moratur*, longa est. — *Artius*, brevius. — *Tuticanumque*, i. e. Tuticănum pro: Tuticānum.

V. 11. *Tuticani*, i. e. Tŭticani pro: Tūticani.

V. 14. *secunda*, sc. syllaba.

V. 16. *pectus*, mentem.

V. 24. *tenera*, iuvenili. — *frena novella*, i. e. prima poeseos meæ rudimenta.

V. 27—28. *Mæoniis . . . chartis*, carmine Homeri; cf. ad Trist. I. 1. 47. — *Phæacida*, sub hoc titulo vertit Tuticanus in Latinum eas Odysseæ partes, ubi agitur de Ulixe Phæacum hospite: cf. infra IV. 16. 27. (de Tuticano): «Et qui Mæoniam Phæacida vertit». — *Pierides*, Musæ; cf. ad Trist. III. 2, 3.

V. 31—32. *duro tibi pectora ferro Esse vel invicto clausa adamante putem*. cf. Trist. I. 8. 41—42: «Et tua sunt silicis circum præcordia venæ Et rigidum ferri semina pectus habet» et Tibull. I. 1, 63—64: «non tua sunt duro præcordia ferro Vincta nec in tenero stat tibi corde silex».

V. 33—34. *huic . . . terræ*, sc. terræ Tomitanæ. — *Pontus*, regio Ponti Euxini.

V. 39—40. *superos*, Cæsares. — *Quo . . . principe*, ad Tiberium imperatorem, patronum Tuticani, hæc referenda esse videntur. Scripta est igitur epistula post mortem Augusti.

V. 43. *dicere vix est*, i. e. dicere vix possum.

V. 48. *sensus*, meus. — *cum re*, una cum fortunis, bonis.

V. 50. *vado*, intellege partem amnis pedibus perviam.

Lib. IV. epist. 13.

Ad Carum.

Carus fuit poeta epicus, auctor Heracleidis (cf. infra vs. 11—12. et IV. 16, 7—8.), cui erat demandata cura liberorum Cæsaris Germanici educandorum (cf. infra vs. 15—18.) Ad eundem missa est Trist. III. 5.

V. 2. *Qui quod es, id vere, Care, vocaris,* cf. Trist. III. 5, 17—18. et adn. ad h. l.

V. 3. *color hic,* agitur de colore stili.

V. 5. *publica,* vulgaris.

V. 7. *titulum chartæ de fronte revellas,* cf. ad Trist. I. 1, 7—8.

V. 11. *Hercule dignus,* Carus Heracleidem, carmen epicum de Hercule, scripsisse videtur; cf. infra IV. 16, 7—8.

V. 15—20. *Thersiten,* cf. ad III. 9, 9—10. — *Nireus,* pulcherrimus Graecorum Troiam oppugnantium: cf. Hom. Il. II. 673: *Νιρεὺς ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθεν.*

V. 18. *Getes,* cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 19. *Getico scripsi sermone,* cf. supra III. 2. 40: «Nam didici Getice Sarmaticeque loqui».

V. 23—24. *de Cæsare,* de Divo Augusto. — *dei,* Augusti.

V. 27—28. *parem virtute patri,* sc. Tiberium. — *qui frena rogatus Saepe recusati ceperit imperii,* cf. Tiberii verba imperium post mortem Augusti recusantis apud Tac. Ann. I. 11: «Solam divi Augusti mentem tantæ molis capacem: se in partem curarum ab illo vocatum experiendo didicisse, quam arduum, quam subiectum fortunæ regendi cuncta onus. Proinde in civitate tot inlustribus viris subnixa non ad unum omnia deferrent: plures facilius munia rei publicæ sociatis laboribus executuros». — *rogatus,* sc. a senatu; cf. Tac. Ann. I. 11: «At patres . . . in questus lacrimas vota effundi: ad deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius (sc. Tiberii) manus tendere».

V. 29. *Vestam,* castitatis exemplum. — *Livia,* vidua Augusti.

V. 31—32. *duos iuvenes,* Germanicus (cf. ad II. 1.) et Drusus minor (cf. ad II. 2, 74.) — *parentis,* Tiberii. — *pignora,* indicia, documenta.

V. 33—34. *non patria . . . Camena,* i. e. non Latinis versibus. — *charta,* pagina.

V. 38. *Cæsaris,* sc. Tiberii.

V. 40. *Sexta . . . bruma,* i. e. hiems anni 14/15. — *relegatum,* cf. ad Trist. I. 7, 8. — *sub axe,* sub polo septentrionali cæli.

V. 41—42. *nocuerunt carmina,* sc. Ars Amatoria. — *Primaque,* prima, non sola; cf. Trist. II. 207—208. et adn. ad h. l.

V. 43. *studii . . . sacri,* poeseos; cf. ad II. 9, 64.

V. 45—46. *capto Latiis Germanicus hoste catenis.* Cæsar Germanicus bellum in Germania gessit ann. 14—16. p. Chr. n. — *Materiam vestris adferat ingeniis.* i. e. materiam det poetis ad carmina heroica.

V. 47—48. *pueri,* filii Cæsaris Germanici. — *deorum,* Cæsarum. — *formandos,* instituendos, educandos.

V. 50. *mutato . . . loco,* cf. ad I. 1, 79—80.

Lib. IV. epist. 14.

Ad Tuticanum.

Ad eundem supra IV. 12., ubi cf. adn.

V. 3. *Non aptum numeris nomen habere meis.* sc. Tuticanus; cf. supra IV. 12, 1—14.

V. 7. *muter,* transferar; cf. supra ad I. 1, 79.

V. 9. *Syrtes,* ita nominantur duo sinus maris in Africa, nautis periculosi propter æstus et vada; cf. Hor. Carm. II. 6. 3 : «barbaras Syrtes, ubi Maura semper Aestuat unda».

V. 11. *Styx,* i. e. inferi, Orcus. — *Histro,* regione Histri.

V. 13—14. *Gramina,* i. e. herbas inutiles, lappas. — *Marticolis,* bellicosis; cf. ad Trist. V. 3. 22. — *Getis,* cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 15. *Tomitæ,* cf. ad Trist. I. 2, 85.

V. 17—18. *per carmina laedi,* ut olim Arte Amatoria. — *ab ingenio,* propter, ob.

V. 25. *monimenta laboris,* opera.

V. 31—32. *vitabilis Ascre.* Ascra, oppidum Bœotiæ ad montem Heliconem, ubi Hesiodus natus est, qui patriam suam Op. et Die. vs. 639—640. ita describit: *Νάσσατο δ' ἄγχ' Ἑλικῶνος*

ὀϊζυρῇ ἐνὶ κώμῃ, χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ, οὐδέ ποτ' ἐσθλῇ. — *agricolæ . . . senis*, Hesiodi, qui scripsit carmen de agricultura, Opera et Dies. — *Musa* carmen.

V. 34. *Intumuit*, sc. ira; irata facta est.

V. 36. *asperitas . . . loci*, sc. insulæ Ithacæ; cf. Hom. Od. X. 415. Ulixis verba: *δόκησε δ' ἄρα σφίσι θυμὸς Ὣς ἔμεν, ὡς εἰ πατρίδ' ἱκοίατο καὶ πόλιν αὐτὴν Τρηχείης Ἰθάκης* et IX. 27.

V. 38. *Scepsius*, Metrodorus Scepsius, philosophus Academicus, *Μισορωμαῖος* (vixit an. 145—70. a. Chr. n.), de quo Plin. N. H. XXXIV. 34: «Metrodorus Scepsius, cui cognomen a Romani nominis odio inditum est». Scepsis est urbs Mysiæ. — *Ausonios*, Italicos, Romanos.

V. 43. *candidus*, bonus, benevolus.

V. 45. *Illyrica . . . pice*, ut Ov. A. A. II. 658: «Nigrior Illyrica cui pice sanguis erit». — *nigrior*, sensu translato: malevolentior; cf. Hor. Sat. I. 4, 85: «hic niger est».

V. 48. *Graios indicat esse viros*, erant enim Tomi colonia Milesiorum; cf. ad Trist. I. 10, 41. et III. 9, 3.

V. 49. *Pæligni . . . Sulmo*, Ovidius natus est Sulmone in terra Pælignorum; cf. ad Trist, IV. 10, 3.

V. 51. *incolumi . . . salvoque*, homini impunito, non relegato.

V. 53—54. *immunis*, cf. supra ad IV. 9, 102. — *siqui munera legis habent*, i. e. qui magistratus gerunt et munus immunitatis habent lege.

V. 55. *sacrata . . . corona*, hedera Baccho, poetarum fautori, sacra.

V. 57. *Latonæ Delia tellus*, quia Latona a Iove amata persecutionem Iunonis fugiens in insula Deli repperit refugium, ubi peperit Apollinem et Dianam.

V. 59. *Tomis*, sive Tomi.

V. 62. *a gelido . . . axe*, a polo septentrionali cæli.

Lib. IV. epist. 15.

Ad Sextum Pompeium.

Ad eundem supra IV. 1, ubi cf. adn.

V. 2. *relegatus*, cf. ad Trist. I. 7, 8.

V. 3—4. *Cæsaribus vitam*, cf. ad Trist. I. 1, 20. — *Sexto debere salutem*, cf. supra ad IV. 5, 34. — *a superis*, post superos.

V. 8. *Punica . . . grana*, i. e. grana mali Punici sive granati.

V. 9—10. *Africa quot segetes*, cf. ad II. 7, 25. — *Tmolia terra*, Tmolus, mons Lydiæ, vino clarus. — *Sicyon*, urbs haud procul a Corintho sita, olivetis clara. — *bacas*, sc. olivæ. — *Hybla*, cf. ad Trist. V. 6, 37—38.

V. 11—12. *testere licet*, i. e. licet tibi testes adhibere. — *signate Quirites*, i. e. cives, confirmate confessionem meam sigillo vestro. — *legum viribus*, testimonio legitimo.

V. 15—16. *tua Trinacria est regnataque terra Philippo*. Pompeius igitur possessiones habuit in Sicilia et Macedonia. — *Trinacria*, Sicilia; cf. supra ad II. 10, 22. et Trist. V. 13, 22. — *Philippo*, Philippus, rex Macedoniæ, pater Alexandri Magni. — *domus Augusto continuata foro*, domus Pompei foro Augusti vicina Romæ; cf. ad IV. 5, 10. — *continuata*, vicina.

V. 17. *Campania*, habuit igitur Pompeius possessiones etiam in Campania.

V. 19. *munere tristi*, munus triste est poeta ipse calamitate afflictus.

V. 21. *amicius arvum*, cf. ad I. 1, 79.

V. 23—24. *in dis*, Cæsaribus. — *Numina*, Tiberium et præcipue Cæsarem Germanicum, cui Pompeius erat gratissimus; cf. supra IV. 5, 23—26.

V. 25—26. *Erroris . . . nostri*, cf. ad Trist. I. 2, 99. — *Sis argumentum*, i. e. tu es testis culpam meam errorem esse, non scelus.

V. 27. *flumine . . . secundo*, sc. navigantibus.

V. 34. *Ipsa locum per se littera nostra rogat*, pro *rogat* scribendum videtur *notat*: i. e. littera mea ipsa per se scribit eum locum (i. e. eam partem) epistolæ, ubi continentur preces.

V. 36. *Dura*, crudelis. — *gelido . . . sub axe*, sub polo septentrionali cæli.

V. 40. *Getas*, cf. ad Trist. III. 3, 6.

V. 41—42. *servatoremque salutis*, cf. ad IV. 5, 34. — *Meque tuum libra norit et ære minus*, i. e. me etiam sine mancipatione esse tuum. Alludit ad sollemnem mancipationis (emptionis et venditionis) modum per æs (assem) et libram ex iure Romano:

cf. supra IV. 5. 46: «Sed fine mancipii tempus in omne tui» et Gai. Inst. I. 119: «Est autem mancipatio . . . imaginaria quædam venditio . . . eaque res ita agitur: adhibitis non minus quam quinque testibus, civibus Romanis puberibus, et præterea alio eiusdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens, is qui mancipio accipit, rem tenens ita dicit: «Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio isque mihi emptus est hoc ære æneaque libra», deinde ære percutit libram atque æs dat ei, a quo mancipio accipit, quasi pretii loco». — *libra . . . et ære minus*, sine libra et ære, mancipatione excepta: cf. Ov. Met. XII. 554: «Bis sex ceciderunt me minus uno» i. e. præter me unum; Ov. A. A. I. 643: «Ludite, si sapitis, solas impune puellas: Hac minus est una fraude tuenda fides». i. e. excepta hac una fraude; Manil. Astron. I. 776: «Tarquinioque minus reges» i. e. reges Romani omnes Tarquinio Superbo excepto.

Lib. IV. epist. 16.

Ad invidum.

Epilogus libri quarti esse videtur ad fictam invidi personam scriptus.

V. 1. *rapti*, tamquam morte abrepti; cf. ad Trist. I. 1, 27.

V. 5—6. *Marsus*, Domitius Marsus, qui scripsit epigrammata, carmina amatoria in Melaenidem, carmen epicum Amazonidem. — *magnique . . . oris*, ad magnificum dicendi genus poetæ epici referendum. — *Rabirius*, qui scripsit carmen epicum de bello Octaviani Aegyptio; cf. Vell. Pat. II. 36. 3: «inter quae (ingenia) maxime nostri aevi eminent princeps carminum Vergilius Rabiriusque». — *Iliacusque Macer*, ad quem scripta est supra II. 10., ubi cf. adn. — *Iliacusque*, erat enim auctor Antehomericorum. — *sidereusque*, divinus: cf. Columell. X. 434. (de Vergilio): «sidereus vates». — *Pedo*, ad quem scripta est supra IV. 10., ubi cf. adn.

V. 7—8. *qui Iunonem læsisset in Hercule, Carus*, Carus, auctor Heracleidis, ad quem scripta est supra IV. 13., ubi cf. adn. — *Iunonem læsisset in Hercule*, i. e. Iunonem, Herculi inimicam, læsisset in Heracleide Herculem laudibus efferendo. — *Iunonis . . .*

gener, quia Hercules in cælum adsumptus et Iunoni reconciliatus uxorem duxit Heben, Iunonis filiam.

V. 9—10. *dedit Latio carmen regale Severus,* Severus, auctor carminis epici de regibus Romanis, ad quem scripta est supra IV. 2., ubi cf. adn. — *Priscus uterque,* fortasse unus ex his Priscis erat Clutorius Priscus ille, de quo Tac. Ann. III. 49: «fine anni (p. Chr. n. 21.) Clutorium Priscum equitem Romanum post celebre carmen, quo Germanici suprema (p. Chr. n. 19.) defleverat, pecunia donatum a Cæsare corripuit delator obiectans ægro Druso (sc. filio Tiberii) composuisse, quod, si extinctus foret, maiore præmio volgaretur». — *Numa,* prorsus ignotus.

V. 11. *vel imparibus numeris . . . vel æquis,* i. e. et distichis elegiacis et hexametris; elegiis et carmine epico pariter egregius. — *Montane,* Iulius Montanus, de quo Senec. Controv. VII. 1, 27: «Montanus Iulius, qui comes fuit Tiberii, egregius poeta»; Senec. Epist. 122, 11: «tolerabilis poeta et amicitia Tiberii notus et frigore».

V. 13. *qui Penelopae rescribere iussit Ulixen,* Sabinus infra vs. 16. nominatus, amicus Ovidii, qui responsis heroum supplevit Epistulas Heroidum Ovidianas: cf. Ov. Am. II. 18, 27: «Quam cito de toto rediit meus orbe Sabinus Scriptaque diversis rettulit ille locis! Candida Penelope signum cognovit Ulixis, Legit ab Hippolyto scripta noverca suo; Iam pius Aeneas miseræ rescripsit Elissæ, Quodque legat Phyllis, si modo vivit, adest; Tristis ad Hypsipylen ab Iasone littera venit: Det votam Phœbo Lesbis amata lyram».

V. 15—16. *Trisemem,* corruptum; Heinsius scribendum censet *Trœzena* cogitatque de carmine epico fabulas ad urbem Trœzena pertinentes complectente; Ehwald: *Træsmin,* quod referendum sit ad urbem Træsmin (in Mœsia) a Pomponio Flacco, amico Ovidii (cf. ad I. 10.), fortissime receptam, de qua re cf. supra IV. 9, 79—80: «Hic (sc. Flaccus) raptam Træsmin celeri virtute recepit Infecitque fero sanguine Danuvium» et adn. ad h. l. — *imperfectumque dierum . . . opus,* i. e. Fastos poeticos ad exemplum Ovidii; cf. Ov. Fast. I. 101. et III. 177. (de se ipso): «vates operose dierum».

V. 17—18. *Ingeniique sui dictus cognomine Largus,* qui Largus fuit et nomine et ingenio. Nonnulli hunc Largum suspicantur

fuisse eundem atque Valerium Largum, accusatorem Cornelii Galli poetæ; cf. Cass. Dio. LIII. 23: *κατηγορήθη τε οὖν ... ὑπὸ Οὐαλερίου Λάργου, ἑταίρου τέ οἱ καὶ συμβιωτοῦ ὄντος*. — *Gallica qui Phrygium duxit in arva senem*, scripsit de Antenore Troiano, qui post excidium Troiæ profugus coloniam Patavium condidit in Gallia Cisalpina; cf. Verg. Aen. I. 247: «Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit Teucrorum». — *Phrygium*, Troianum; erat enim Troia in Phrygia.

V. 19—20. *canit domito Camerinus ab Hectore Troiam*, narravit igitur res ad Troiam post mortem Hectoris gestas, i. e. Posthomerica. — *Camerinus*, nobis ignotus. Q. Sulpicius Camerinus quidam erat consul an. 9. p. Chr. n. — *Quique sua nomen Phyllide Tuscus habet*, Tuscus scripsisse videtur de Phyllide, filia regis Thraciæ, Demophoontem, Thesei filium, amante, quam fabulam narravit etiam Ovidius Her. 2.

V. 21—22. *Velivolique maris rates*, cuius nomen ignoramus. — *Velivolique maris*, ubi vela volant. — *cæruleos*, marinos; a colore maris.

V. 23—24. *Quique acies Libycas Romanaque prœlia dixit*, poeta prorsus ignotus. — *acies Libycas Romanaque prœlia*, fortasse bella Punica; sed cogitari potest etiam de bello Cæsaris cum Iuba Pompeiano, rege Numidiæ. — *Marius*, prorsus ignotus.

V. 25—26. *Trinacriusque*, non nomen, sed patriam scriptoris significare videtur; i. e. agitur de poeta quodam Siculo (Trinacria = Sicilia, cf. ad II. 10, 22.), cuius nomen Ovidius reticet. — *Perseidos*, Perseis potest significare carmen de bellis Persarum et Græcorum, quale composuit olim Chœrilus, Herodoti aequalis; sed referri potest etiam ad Perseum heroem, Medusæ domitorem. — *Tantalidæ reducis Tyndaridosque*, carmen de reditu Menelai et Helenæ in patriam post excidium Troiæ. — *Tantalidæ*, Menelaus, cuius pater Atreus, avus Pelops, proavus Tantalus erat. — *Tyndaridosque*, Helena, filia Ledæ, uxoris Tyndarei. — *Lupus*, nobis aliunde non notus.

V. 27—28. *Et qui Mæoniam Phæacida vertit*, Tuticanus, ad quem scripta est supra IV. 12., ubi cf. adn. — *Mæoniam*, Homericam; cf. ad Trist. I. 1, 47. — *Phæacida*, cf. ad IV. 12, 27. — *Rufe*, Rufus, Pindari imitator, fortasse idem atque Titius ab

Hor. Epist. I. 3. 9. commemoratus: «Quid Titius, Romana brevi venturus in ora? Pindarici fontis qui non expalluit haustus». Nomen ei igitur Titius, cognomen Rufus fuisse videtur.

V. 29—30. *Turrani*. Turranius, poeta tragicus, aliunde non notus. — *cothurnis*, calceo tragœdorum. — *socco*, calceo comœdorum. — *Melisse*, C. Melissus, Mæcenatis libertus, inventor novi generis comœdiæ, tabulæ trabeatæ. Melissus scilicet equites Romanos, trabea, vestitu equestri, indutos in scenam induxit, unde nomen. Cf. Suet. De grammat. 21: «Fecit et novum genus (fabularum) togatarum inscripsitque *trabeatas*».

V. 31—32. *Varius*, L. Varius Rufus, Vergilii amicus et post mortem eius editor Aeneidos, scripsit tragœdiam celeberrimam *Thyesten*. — *Gracchusque*, hic quoque scripsit tragœdiam Thyesten teste Priscian. Gramm. lat. II. p. 269. 8. — *tyrannis*, regibus in tragœdia primarias partes agentibus. — *Callimachi Proculus molle teneret iter*. Proculus, aliunde non notus, scripsit elegias ad exemplum Callimachi, principis elegiæ Alexandrinæ. — *molle . . . iter*, ad elegias eroticas referendum.

V. 33—34. *Tityron antiquas Passerque rediret ad herbas*. Passer rediret ad Tityrum antiquasque herbas, i. e. ad genus poeseos bucolicum a Vergilio olim excultum, deinde per longum tempus (unde *antiquas*) neglectum. — *Tityron*, nomen pastoris ex Verg. Ecl. I. notum, significat genus poeseos bucolicum. — *Passerque*, Passer, nomen poetæ aliunde non noti. — *Aptaque venanti Grattius arma daret*, alludit ad Grattii Cynegeticon vs. 23: «Carmine et arma dabo venanti et persequar artes Armorum». — *Grattius*, auctor carminis didactici de arte venandi *(Cynegetica)*, quod ad nos pervenit.

V. 35—36. *Naidas a Satyris caneret Fontanus amatas*. Fontanus, poeta aliunde non notus, carmina bucolica composuisse videtur; nam satyri et nymphæ apud poetas bucolicos potissimum occurrere solent. Alii de dramatibus satyricis cogitant. — *imparibus . . . modis*, distichis elegiacis, ubi hexameter longior est pentametro. — *Capella*, poeta elegiacus fuisse videtur.

V. 39. *cura*, opus.

V. 41. *Cotta*, Cotta Maximus, ad quem scripta est supra I. 5., ubi cf. adn. — *Pieridum lumen*, poeta præclarus; cf. ad I. 5. 58. —

Pieridum, Musarum: cf. ad Trist. III. 2, 3. — *praesidiumque fori*, causarum patronus et orator bonus; cf. supra III. 5, 7. sqq. et adn. ad II. 2, 49—51. et Hor. Carm. II 1, 13: «Insigne maestis præsidium reis».

V. 43. *Maternos Cottas*, cf. ad III. 2, 107. — *Maternos*, sc. avos.

V. 51. *extinctos*, tamquam mortuos; cf. ad Trist. I. 1, 27.

SCHOLIA VETERA IN NICANDRI ALEXIPHARMACA.

Adiecta sunt scholia recentia.

Recensuerunt

EUGENIUS ÁBEL et RUDOLFUS VÁRI.

Pretium 3 cor.

DICTA CATONIS

Quae vulgo inscribuntur Catonis disticha de moribus.

Iterum edidit

GEYZA NÉMETHY.

Pretium 2 cor.

A. PERSII FLACCI SATIRÆ.

Edidit, adnotationibus exegeticis et indice verborum instruxit

GEYZA NÉMETHY.

Pretium 8 cor.

ALBII TIBULLI CARMINA

Accedunt Sulpiciae elegidia.

Edidit, adnotationibus exegeticis et criticis instruxit

GEYZA NÉMETHY.

Pretium 6 cor.

LYGDAMI CARMINA

Accedit Panegyricus in Messallam.

Edidit, adnotationibus exegeticis et criticis instruxit

GEYZA NÉMETHY.

Pretium 3 cor.

Franklin-Társulat nyomdája.